An. et vol. XCVII 4 Februarii 2005 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

I

quibus Beato Iosepho Manyanet y Vives Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Atque in te benedicentur universae cognationes terrae » (*Gn* 12, 3).

Sicut Abrahamus, qui a Deo ut novam filiorum Dei familiam efformaret est vocatus, ita beatus Iosephus Manyanet y Vives suam omnem vitam tradidit, ut coniugii familiaeque dignitatem Dei ad consilium promoveret ac defenderet, cuius est Dei familiam, scilicet Ecclesiam, aedificare. Potissimum ipse contulit operam familiari in Hispania vitae saeculo XIX renovandae, ita ut « familiae apostolus » vocaretur.

Fervens filius hic Ecclesiae die VII mensis Ianuarii anno MDCCCXXXIII ortus est in oppido *Tremp*, in dioecesi Hispaniae Urgellensi, apud multam christianamque familiam. Cum animadverteret se ad sacerdotium vocari, anno MDCCCXLV in collegium Scholarum Piarum Barbastri est ingressus. Philosophica theologicaque curricula in dioecesanis seminariis Illerdensi et Urgellensi explevit atque die IX mensis Aprilis anno MDCCCLIX postrema in hac Ecclesia presbyterali ordine est auctus.

Egregie Episcopum Urgellensem variis in dioecesanis officiis atque in ministeriis sacerdotalibus iuvit, donec animadvertit se a Deo vocari ut Sanc-

tae Nazarethanae Familiae exempla mundo demonstraret atque familiarum christianam institutionem promoveret, praecipue per educationem institutionemque vere catholicam puerorum iuvenumque. « Quid faciendum – secum quaerebat – ut familiis propria dignitas, pax ac tranquillitas restituerentur, quibus eae carent? Nihil aliud superest, nisi ut proponatur et animus addatur ad Sacrae Familiae exemplar imitandum, atque procul dubio ea renovabitur, atque renovata familia, societas etiam sanabitur » (*Camareros S.F.* 1, 6 – anno MDCCCLXVIII).

Hanc propter rem, Spiritu permotus, anno MDCCCLXIV, Institutum condidit Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph atque anno MDCCCLXXIV Institutum Missionariarum Filiarum a Sacra Familia de Nazareth. « Puerorum iuvenumque educatio et institutio – sic scripsit – sacerdotibus hisque religiosis commissae, aptissimum est instrumentum ... et optimos obtinet effectus ad familiam ideoque societatem renovandam » (*Epistula*, mense Martio MDCCCLXXXIX).

Ex precatione ecclesialique sensu anno MDCCCLXIX expiatorium templum aedificare statuit, ut visibile esset signum ac spiritalis domus omnium familiarum. Hoc consilio expiatorium Templum Sacrae Familiae Barcinonensis excitatum est, quod insignis architectus Servus Dei Antonius Gaudí finxit.

Die II mensis Februarii anno MDCCCLXX ut Sacrae Familiae filius vota religiosa nuncupavit idemque coram eo primi socii fecerunt. Annorum decursu hanc consideravit consecrationem tamquam Deo vocanti responsionem supernaturali in ambitu eximiaque fidelitate.

Pro Dei regno in Christo insignis operarius admirabilem operam apostolicam complevit matrimonium christianamque familiam promovendi, praecipue praedicando, libros edendo, scholas, collegia ac pastorales sedes parentibus filiisque, indigentioribus potissimum, formandis instituendo. Familias veluti scholas esse cupiebat et vicissim scholas veluti familias. His in omnibus rebus Sacrae Familiae Nazarethanae exemplum prae se ferebat, ex cuius foculo et schola Iesus, Filius Dei, « Familiae Evangelium » proclamavit, quemadmodum Nos ipsi in *Litteris familiis datis* (n. 23), scripsimus.

Alias quoque familiarum consociationes condidit, quae Nazarethanam familiam imitarentur atque sociatam operam familiis, pueris et iuvenibus educandis praestarent. Eodem hoc proposito ephemeridem *La Sagrada Familia* condidit, ut virtutes exemplaque Iesu, Mariae Ioseph familiares cunctis in domibus redderentur, ut verae Ecclesiae domesticae fierent. « Divinum quoddam sacerdotium – scripsit Iosephus Manyanet – est paternitas: ut enim sacerdotis est hortari, docere sacraque facere, ita parentes, domesticos intra

parietes, pervigiles et insomnes custodes necnon et impigri prudentesque monitores esse debent» (*Preciosa joya de familia*, cap. II, 2 – anno MDCCCXCIX).

Ardenter ipse cupiebat atque constanter studioseque est operatus, ut «omnes orbis familiae imitentur et Sanctae Familiae Nazarethanae benedicant». «Sacra Familia – scripsit – cognosci cupit, id Summus Pontifex obtestatur, id hodierna societatis condicio postulat» (*Nuestro objeto*, anno MDCCCXCIX).

Cum quoddam propter donum vocaretur essetque Sacrae Familiae filius, huic Sacrae Familiae cor commisit atque in Nazarethana domo suam spiritalem posuit commorationem. Ibidem per Sacrorum Bibliorum lectione meditationeque, suam filialem pietatem in Iesum, Mariam et Ioseph aluit, atque se esse testem apostolumque huius Familiae sanctitatis didicit. Cum se spiritalis litterarum suae vitae narrationis personae, cui nomen «Desideria», aequaret, possibilitatem necessitatemque usque tenuit filii Dei condicionis, semitam calcans obsequii et humilitatis, quemadmodum egit Iesus una cum Maria et Ioseph Nazareth.

Eximius fuit spiritus magister, cum laicorum, tum religiosorum. Humilis usque et erga Praelatos oboediens, placide, firmiter et patienter complures adversitates et aerumnas toleravit.

Cum circiter XVI per annos costarum vulnera, quae numquam sanabantur quaeque ab eo «Domini misericordiae» vocabantur, eius valetudinem debilitarent, die XVII mensis Decembris anno MCMI, virtutum bonarumque operum dives, Patris domum Barcinone, pueris iuvenibusque circumdatus petivit. Eius postrema verba haec ter iterata fuerunt: «Iesu, Ioseph et Maria suscipite, cum morior, animam meam».

Augescente fama eius sanctitatis, anno MCMXXXI causa incohata est Beatificationis Canonizationisque. Omnibus iure statutis expletis rebus, Nos Ipsi die XXV mensis Novembris anno MCMLXXXIV sollemni ritu Iosephum Manyanet declaravimus Beatum. Die XX mensis Decembris anno MMIII, Nobis adstantibus, decretum super miraculo prodiit, quod eiusdem Beati deprecationi est adsignatum. Exauditis Patrum Cardinalium Episcoporumque, in Consistorio die XIX mensis Februarii insequentis anni celebrato, faventibus sententiis, statuimus ut canonizationis ritus, die XVI mensis Maii Romae perageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio,

Beatos Aloisium Orione, Hannibalem Mariam Di Francia, Iosephum Manyanet y Vives, Nimatullacium Kassab Al-Hardini, Paulam Elisabetham Cerioli et Ioannam Beretta Molla Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.587

II

quibus Beatae Paulae Elisabethae Cerioli Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri: "Mulier, ecce filius tuus". Deinde dicit discipulo: "Ecce mater tua". Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua » (*Io* 19, 26-27).

Hisce Evangelii verbis inspirata est et collustrata beata Paula Elisabetha ut intellegere posset sensum propheticum verborum quae filius eius Carolus, moriens, ad eam convertit: *Mater mea, ne lugeas, Dominus enim alios tibi filios dabit alendos*. Verba fuerunt quae, licet in umbra, mater in memoria valide tenuit, donec duas institutiones titulo insigniri voluit: Institutum Sororum a Sacra Familia et Institutum Patrum Fratrumque a Sacra Familia. Ipsa enim apud scholam Mariae et Ioseph didicit necesse esse ut infantes cuiusque temporis integram et compactam, magnanimam et stabilem familiam haberent, ut crescere possent mente roborati et persuasi se vitam iustam gerere et iucundam, dignam ut diligeretur, quae impelleret eos ad omnes proprios similes diligendos. Agitur de exigentia, quae nostra quoque viget aetate, in qua argumentum de familia agitatur praesertim ab Ecclesia ut quamprimum eius tanti momenti finis restauretur.

Mater Paula Elisabetha (in saec.: Constantia Cerioli) in oppido vulgo *Soncino* (intra fines provinciae Cremonensis) die XXVIII mensis Ianuarii anno MDCCCXVI orta est christianis genitoribus, ex nobili stirpe, divitibus agrorum possessoribus. Statim experta est amarum doloris sensum, sive physici doloris quoniam gracili et infirmo corpore est nata, sive moralis doloris quia apud incolas oppidi *Soncino* tempore illo summa grassabatur egestas, et ideo mater eius, christiana provida sapientia ditata, filiam ab hac rerum condicione hortata est ut caveret.

Undecim annos agens, uti decet familiae nobilis filiam, ascripta est in collegium a Sororibus Visitandinis curatum in oppido *Alzano Lombardo* (intra fines Bergomensis provinciae), ubi instructio et formatio optime coalescebant secundum spiritalem Sancti Francisci Salesii doctrinam. Undeviginti annos nata, excipiens parentum voluntatem in qua ipsam Dei voluntatem quibuslibet posthabitis humanis considerationibus, iugiter noverat, nupsit viro Caietano Busecchi-Tassis, viduo duodesexaginta annorum aetatis. Quamvis haud facilem coniugalem vitam gerens, mitem et obsequentem se praebuit. Quattuor filios habuit, ex quibus tres fere subito mortem obierunt, et alter natus, Carolus, obiit anno MDCCCLIV sedecim aetatis annos agens. Eodem anno e vita quoque migravit maritus; idcirco Constantia vidua ac sola permansit.

In viduitate versans invenit et vixit tormentum solitudinis; nihilominus solida fide firmata et spiritualiter ducta a duobus Episcopis, Domino Petro Aloisio Speranza, Ordinario Dioecesis Bergomensis, et Domino Alexandro Valsecchi eius Episcopo Auxiliari, detegere potuit et ad se referre Perdolentis Virginis mysterium, et perspexit quanti ponderis sit donum maternitatis

spiritualis, quam Deus, ex opere Spiritus Sancti, offerebat ei uti mercedem ob novum pro Iesu discipulatum.

Intendens ad cursum exercitiorum spiritualium quo Dei voluntatem melius perspiceret, experta est eorum effectum, in corde persentiens ineluctabile optatum pauperiorem vitam vivendi nec non cum gentibus quae infimis condicionibus succumbunt convivendi. Hanc experientiam suo spirituali credidit Moderatori, qui hortatus est eam ad orationem domi quoque pergendam et ad opera caritatis exercenda. Statim portas sui sumptuosi palatii duabus orphanis puellis adaperuit in pago vulgo Comonte: sic suo conspicuo caritatis operi initium dedit.

Condidit anno MDCCCLVII Institutum Sororum a Sacra Familia et anno MDCCCLXIII Institutum Patrum Fratrumque a Sacra Familia, quibus munus commisit in re flagrans pergendi desiderium, exsequendi scilicet paternitatem-maternitatem Dei inter filios rusticorum parentum magis derelictos et id temporis adeo frequentes. Huic tamen operae caritatis obstiterunt sive parentes eius sive amici; sacrificia et tribulationes sustinuit, sed quodcumque obstaculum superavit, voluntati Patris omnino se tradens. Prorsus se referens ad familiam Iesu, Mariae et Ioseph, Religiosas Religiososque suos nec non societatem docere voluit authenticam consortionem in fide quaerendam esse potius quam inter parentes. Appellavit *filios* et *filias* Sancti Ioseph hospites suos qui, iuxta ipsius mentem, locum tenebant filii Caroli. Hoc miro modo amorem suum transformavit, a naturali transiens ad supernaturalem amorem, ab amore filii secundum naturam ad filios divini amoris, et numquam amare destitit cum illa omnimoda materni cordis effusione et largitate. Gaudens quod inter pauperes facta sit pauper, die XXIV mensis Decembris anno MDCCCLXV in pago *Comonte di Seriate* (Bergomi) in Domino obdormivit.

Causa Beatificationis et Canonizationis incohata est in Dioecesi Bergomensi anno MCMII. Decessor Noster Pius XII die XIX mensis Martii anno MCML in Beatorum album eam rettulit.

Die XX mensis Decembris anno MMIII, Nobis coram decretum prodiit super miraculo intercessioni eiusdem beatae adscripto. Favens excipientes votum Patrum Cardinalium et Episcoporum in Consistorio die XIX mensis Februarii huius anni MMIV congregatorum, statuimus ut ritus Canonizationis perageretur die XVI sequentis mensis Maii.

Hodie igitur in foro Vaticanam Sancti Petri Apostoli Basilicam prospiciente, inter sacra hanc ediximus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Aloisium Orione, Hannibalem Mariam Di Francia, Iosephum Manyanet y Vives, Nimatullacium Kassab Al-Hardini, Paulam Elisabetham Cerioli et Ioannam Beretta Molla Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Hoc prolato sermone de hac novensili Sancta, grates agentes Domino, Nos primi eam venerati sumus; et sicut illa summae pietatis atque caritatis edidit documenta, eam imitandan proposuimus et in adiutorium totius Ecclesiae invocavimus patrocinium.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Maii, anno Domini MMIV, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 559.775

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ALINDAOËNSIS

In Africa Media nova conditur dioecesis Alindaoënsis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quadraginta per annos, favente divina gratia, spiritaliter valde crevit dioecesis Bangassuensis. Quamobrem Praefectus Congregationis pro Gentium Evangelizatione postulavit a Nobis ut, huius ecclesiasticae circumscriptionis detracta quadam parte, nova exinde dioecesis erigeretur.

Nos itaque, favente eidem consilio Venerabili Fratre Iosepho Chennoth, Archiepiscopo titulo Milevitano et in Republica Africae Mediae Apostolico Nuntio, de consilio eiusdem Congregationis pro Gentium Evangelizatione, preces ad Nos admotas accipiendas censemus.

De plenitudine ideo Apostolicae potestatis Nostrae a dioecesi Bangassuensi seiungimus integrum territorium Praefecturae civilis vulgo dictae Basse-Kotto atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus Alindaoënsem nuncupandam.

Huius novae dicionis sedem in urbe *Alindao* statuimus ac templum Sacro Cordi dicatum in eadem urbe situm ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus.

Novam hanc dioecesanam communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Gentium Evangelizatione atque suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Banguensi eiusque Episcopum subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis.

Quod vero ad Consilia in dioecesi instituenda attinet necnon Curiam episcopalem et Seminarium, sacerdotum formationem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones praescribunt. Documenta insuper et acta quae conditam hanc dioecesim respiciunt, ad eandem Curiam mittantur ibique in tabulario serventur.

Simul ac dioecesis Alindaoënsis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero clerici Seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Haec autem ad singula Nostra mandata exsequenda superius commemoratum Venerabilem Fratrem Iosephum Chennoth destinamus, universas necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplum actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet causis haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo septimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 568.782

II

GALVESTONIENSIS-HOUSTONIENSIS

In Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis nova constituitur provincia ecclesiastica Galvestoniensis-Houstoniensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum pacis et gaudii nuntius, in Iesu nativitate pastoribus ab angelis annuntiatus, universis per orbem bonae voluntatis hominibus velimus renun-

tietur, solliciti conamur Evangelii praedicationem fovere atque necessarias ecclesiasticas instituere structuras. Cum quidem in territorio provinciae ecclesiasticae Sancti Antonii catholica fides satis floruisset, opportunum visum est novam ibi metropolitanam sedem erigere.

Quapropter, audito consilio quorum interest, suffragante Venerabili Fratre Gabriele Montalvo, Archiepiscopo titulo Celenensi et Apostolico Nuntio in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionali, a metropolitana Sede Sancti Antonii seiungimus dioeceses Austiniensem, Bellomentensem, Brovnsvillensem, Corporis Christi, Galvestoniensem-Houstoniensem, Tylerensem et Victoriensem in Texia, atque summa Nostra apostolica potestate ex iis novam ecclesiasticam provinciam Galvestoniensem-Houstoniensem constituimus, cuius sedes princeps erit deinceps, his Litteris constituta, archidioecesis Galvestoniensis-Houstoniensis, cui reliquae dioeceses ut suffraganeae sedes subiciuntur.

Ideo ecclesiastica provincia Sancti Antonii posthac constabit metropolitana Ecclesia eiusdem nominis atque suffraganeis dioecesibus Amarillensi, Dallasensi, Elpasensi, Arcis Vorthensis, Laredana, Lubbokensi et Angeliana.

Praeterea Venerabilem Fratrem Iosephum Antonium Fiorenza, hactenus Episcopum Galvestoniensem-Houstoniensem, ad gradum et dignitatem Archiepiscopi Metropolitae promovemus, pariterque Venerabili Fratri Danieli Nicolao DiNardo, eiusdem Sedis Coadiutori, dignitatem archiepiscopalem conferimus.

Haec autem quae praescripsimus exsequenda committimus Venerabili Fratri Gabrieli Montalvo, quem supra memoravimus, universas necessarias et opportunas ei tribuentes facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto quam primum ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo quarto, Pontifcatus Nostri vicesimo septimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 568.817

III

TIRANENSIS-DYRRACENA

In Albania Sedes cathedralis Tiranensis-Dyrracena ad metropolitanae gradum evehitur novaque provincia ecclesiastica constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Solet Apostolica Sedes, sive ad Christifidelium bonum melius fovendum sive ad communem finitimarum dioecesium pastoralem actionem efficacius promovendam, ecclesiasticas circumscriptiones aptius quandoque disponere. Ad hanc rationem, cum nimirum commodum esse ducamus primum denominationem archidioecesis Dyrracenae-Tiranensis ita permutari, ut deinde *Tiranensis-Dyrracena* nuncupetur, tum eandem Ecclesiam ad metropolitanae sedis dignitatem evehi tum nova provincia ecclesiastica constitui, perpenso Congregationis pro Gentium Evangelizatione consilio, suprema et Apostolica Nostra auctoritate sequentia decernimus et iubemus. Dum statuimus mutatam denominationem archidioecesis Tiranensis-Dyrracenae quam supra diximus, eandem item ad gradum dignitatemque metropolitanae Ecclesiae attollimus, omnia iura ac privilegia tribuentes quae huiusmodi Ecclesiis iure communi debentur. Huic metropolitanae Sedi Ecclesiae suffraganeae erunt dioecesis Rrësheniensis et Administratio Apostolica Albaniae Meridionalis, quibus simul constabit nova provincia ecclesiastica Nostra voluntate condita. Quae autem his Litteris Nostris mandavimus perficienda curabit Venerabilis Frater Ioannes Bulaitis, Archiepiscopus titulo Naronensis atque in Albania Nuntius Apostolicus, cui omnes potestates agendae rei concedimus, quas poterit, si visum fuerit, cuilibet viro delegare, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto, onere tamen imposito efficiendi ut certum verumque peractae exsecutionis documentorum exemplum ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione sedulo transmittatur.

Has denique Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuscumque rebus nihil obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Ianuarii anno bismillesimo quinto Pontificatus Nostri septimo ac vicesimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 570.257

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Mariae Iesu crucifixi caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Vitae sensus in Dei amore comprehendendo reperitur in Eo laudando, huic amori respondendo ».

Sententia haec Matris Mariae Iesu crucifixi, saeculari nomine Mariae Petković vocatae, eius fuit vitae propositum. Etenim puella Christi amore imbuta, sese totam ei usque addixit seseque spiritalis materialisque pro indigentibus misericordiae operibus devovit, sic Ecclesiae societatisque multum conferens commoditati. Venerabilis Dei Serva die x mensis Decembris anno MDCCCXCII in pago *Blato*, in insula *Korčula*, dioecesis Ragusinae orta est. Domi in Dei viis ambulare et in paroecia fidem caritatemque per apostolatum testificari didicit. Quattuordecim annos nata, cum animadverteret se velle totam Christi esse, Ei privato perpetuae castitatis voto « se despondit ». Ex Eucharistia et precatione vim hauriebat studiose in Filiarum Mariae, Boni Pastoris, christianarum Matrum consociationibus proximo inserviendi necnon in populari Culina. Peculiarem curam senibus adhibuit, quibus sollicito cum amore assidere solebat, aeque ac pauperibus, pupillis desertisque pueris. Anno MCMXIX eius vita de integro est mutata. Eius namque Episcopus spiri-

talisque moderator, excellentissimus Iosephus Marčelić, eam rogavit ut ne *Blato* decederet ac indigentibus operam daret. Hac in postulatione Dei Serva Domini voluntatem agnovit, quam comiter prompteque est secuta. Una aliquibus cum sociis Domum sustinere coepit operasque, quas Ancillae Caritatis ad illud usque tempus praestabant quae pagum relicturae erant. Sic die XXV mensis Martii illius anni Maria officium obire coepit hortum Infantiae et Culinam popularem curandi. Illud initium fuit Congregationis Filiarum a Misericordia Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci, cuius fuit per caritatis opera divini amoris cognitionem propagare. Institutum, quod die IV mensis Octobris anno MCMXX officiose conditum est, ab ipsa conditrice quadraginta per annos rectum est. In omnibus rebus Dei gloriam animarumque salutem quaesivit; ei cordi fuit Sororum institutio necnon humanus christianusque iuvenum, puerorum, pauperum et infirmorum progressus. Anno MCMXXVIII Ordini Fratrum Minorum Congregatio aggregata est. Anno MCMXXXVI nonnullas sorores in Americam Latinam missiones agentes misit, quo ipsa anno MCMXL se contulit, usque manens ad annum MCMLII. Europa repetita, Romae generale Congregationis moderamen posuit. Anno MCMLIV stabili hemiparesi icta est. Anno MCMLVI eius Institutum, sodalibus operibusque locupletatum, ab Apostolica Sede est comprobatum. Antistitae generalis relicto valetudinis causa officio, egit postremos annos in humilitate ac precatione, id adimplens quod filiabus suis spiritalibus tradiderat, quibus dicere solebat: «Cum minimae estis humillimaeque, tum carissimae Iesu estis». Matris corde verbo exemploque suarum virtutum sodales sustinere perrexit, quas a Iesu docta, studiose, perseveranter laetanterque colere didicerat. Fide, spe et caritate sustentata cum Deo ambulavit, eius verbo credidit, eius voluntati est obsecuta, ex gratiae fontibus vim hausit et Christi Regno aedificando operam dedit. Laetitiae animas ad Deum perducendi amorem in Eucharistiam, Virginem Mariam, Ecclesiam orationemque coniunxit. Difficultates non defuerunt, sed omnia Domino obtulit. Etenim dixerat: «Germanus amor in sacrificio, dolore cruceque demonstratur». Cum ardenter Iesu gloriosum vultum vellet contemplari, die IX mensis Iulii anno MCMLXVI diem obiit suum.

Sanctitatis propter famam, iam in vita vigentem, Romae Vicariatus beatificationis canonizationisque Causam incohavit. Nobis coram die V mensis Iulii anno MMII decretum de virtutibus heroum in modum exercitis prodiit atque die XX mensis Decembris eiusdem anni decretum super miraculo evulgatum est, eiusdem Dei Servae intercessioni adscripto. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Ragusii perageretur, Nostri pastoralis itineris in Croatia tempore.

Hodie igitur inter sacra hanc enuntiavimus formulam:

Mi, udovoljavajući zĕlji Našega brata dubrovačkoga biskupa Želimira Puljića te brojne druge braće u biskupstvu i mnogih vjernika, pošto smo razmotrili mišljenje Zbora za proglašenje svetih, Našom apostolskom vlašću dopuštamo da se službenica Božja Marija Propetoga Isusa Petković od sada naziva blaženom i da se svake godine na dan njezina rođenja za nebo, devetoga srpnja, može slaviti njezin spomen na mjestima i na način kako je to određeno kanonskim propisima. U ime Oca i Sina i Duha Svetoga.

Praeclara haec mulier insignes dedit religiosae pietatis fideique testificationes, quae totam suam vitam Deo omnino addixit atque pro Christi Ecclesiaeque amore suam exegit aetatem. Exoptamus igitur ut salutifera eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento, quo ipsi spiritales fructus uberius consequantur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Ragusii, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Iunii, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 540.884

II

Venerabili Dei Servo Ivano Merz Beatorum tribuuntur honores.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Fides catholica mea est in vita vocatio ».

Sententia haec, quam Ivanus Merz iuvenis laicus cum Lutetiae Parisiorum anno MCMXXI studiis operam daret matri scripsit, eius summatim brevem sed plenam spiritalem vitam complectitur, quam sacra liturgia, principem locum obtinente sacra Eucharistia, illustravit, quae eius pro Ecclesia et pro iuvenibus educandis munus aluit.

Banialucae in Bosnia die XVI mensis Decembris anno MDCCCXCVI ipse ortus est, ubi anno MCMXIV lycei diploma est consecutus. Liberalius institutus est. In eius christiana vita magnam habuit vim gymnasii doctor Ljubomir Marakovič, insignis catholicae doctrinae fautor. Primum propter bellum mundanum studia intermisit. Miles ad primam aciem amandatur, ubi omnia scelera aerumnasque belli experitur atque ea res eum ad Deum dirigit. Hoc fuit eius propositum: «numquam Deum oblivisci debemus! Cum eo coniungi usque desiderare debemus... Terrificum esset si bellum hoc nihil haberet mihi utilitatis... Spiritalem vitam incohare debeo novae catholicae doctrinae renovato sensu imbutam» (ex diario, die V mensis Februarii anno MCMXVIII). Bello confecto, primum Vindobonae deinde Lutetiae Parisiorum sua studia producit. Anno MCMXXII Zagabriam repetit, ubi Francogallicas Germanicasque litteras et linguas docere coepit. Usque ad mortem in archiepiscopali gymnasio Zagabriensi docuit. Anno MCMXXIII apud studiorum Universitatem Zagabriensem lauream, scribens «de in Francogallos scriptores liturgiae effectu», in philosophica disciplina est consecutus. Cum doceret, privatim philosophiae christianae operam dabat, Patre Alfirević ductore.

Eius vita ordinaria videtur et simplex, quae tamen proximo iuvenibus Croatis educandis penitus destinabatur. Singulare fuit eius spiritale iter: sine familia, sine novitiatu, sine seminario, sine stabili spiritali ductore, ipse Spiritu Sancto perductus, suam sanctitatis viam invenit. Eius per diarium spiritalis progressio respicitur: non fuit ipse «sanctus ab ortu», sed iuvenis quidam pro fide moralique bono depugnans et is victor evadit. Ecclesiam, sacram Eucharistiam, Pontificem dilexit, quod in Croatae iuventuti inculcandum omni ope curavit. Eius vita in sacra liturgia, scilicet in quotidiana missa participanda, eucharistica adoratione, aliisque pietatis exercitiis innititur. Undeviginti annos natus castitatis votum usque ad matrimonium nuncupavit. Octavum et vicesimum annum agens, cum plane perciperet Dominum suum velle totum cor, perpetuae castitatis nuncupavit votum. Castitatis virtus per filialem erga Virginem Mariam devotionem corroboratur.

Venerabilis Dei Servus potissimum sicut iuvenum apostolus innotuit, primum in «Sodalicio iuvenum catholicorum Croatorum», post in «Sodalicio Croato Aquilarum», cuius spiritus fuit movens, eoque in Croatia Actionem Catholicam inauguravit, quam Summus Pontifex Pius XI voluit. Ad eius mentem sodalitatis est electos iuvenes instituere, qui apostoli sint sanctitatis. Ad hoc propositum assequendum conferre debet liturgiae renovatio, cuius ipse fuit fautor in Croatia, mentem praecipiens Concilii Vaticani II.

Eius in apostolatu non desunt difficultates, quas ipse admirabili tranquillitate sustinet, eo quod cum Deo in precatione arte coniungitur. Ut Dei regnum incresceret animaeque servarentur Domino suos spiritus corporisque dolores obtulit. Moriturus Deo suam iuvenilem vitam pro iuvenibus Sodalicii Aquilarum devovit. Zagabriae die x mensis Maii anno MCMXXVIII obiit, sanctitatis famam post se relinquens. Eius sepulcrum quod in templo invenitur S. Cordis Zagabriae, ad quod itare postremis annis consueverat, invisitur a compluribus fidelibus, Dei Servum precaturis.

Beatificationis et canonizationis Causa anno MCMLVIII Zagabriae incohatur. His absolutis rebus iure praescriptis, Nobis coram die V mensis Iulii anno MCMII decretum super virtutibus heroicis prodiit. Die XX autem mensis Decembris eiusdem anni decretum de miraculo evulgatum est, quod in ipso Servi Dei sepulcro contigit, statuimus igitur ut beatificationis ritus die XXII mensis Iunii anno MMIII, Nostri pastoralis itineris in Bosnia tempore, celebraretur.

Hodie igitur, Banialucae, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Mi, udovoljavajući želji Našega brata zagrebačkoga nadbiskupa Josipa Bozanića te brojne druge braće u biskupstvu i mnogih vjernika, pošto smo razmotrili mišljenje Zbora za proglašenje svetih, Našom apostolskom vlašću dopuštamo da se sluga Božji Ivan Merz od sada naziva blaženim i da se svake godine na dan njegova rođenja za nebo, desetoga svibnja, može slaviti njegov spomen na mjestima i na način kako je to određeno kanonskim propisima. U ime Oca i Sina i Duha Svetoga.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Banialucae, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Iunii, anno MMIII, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 555.018

III

Venerabili Servae Dei Bonifatiae Rodríguez Castro Beatorum caelitum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quocumque in opere exercendo intuendum est exemplum officinae Nazarethanae ».

Verba haec quae Bonifatia Rodríguez Castro saepissime protulit, eius vitae doctrinaeque spiritualis cardinem constituunt. Manibus operans a quindecim aetatis annis, Iesu operarii Nazarethani vestigia est secuta et in servitium pauperum mulierum operariarum vitam impendit, ut a periculo perditionis eas eriperet dum Hispanica industriae eversio grassari coeperat.

Salmanticae, in Hispania, die VI mensis Iunii anno MDCCCXXXVII nata est ab artificum familia, solida christiana fide instructa. Pater eius vestificus erat, qua de causa Bonifatia in officina vestium vitam iniit. Adulescens officium Vestiariae didicit. Primogenita ex sex liberis post mortem patris, alieno nomine laborare coepit ut matri ad sustentandam familiam opem ferret, extenuantes perferens horas laboris, exiguum lucrum et pericula, quae, dignitate mulieris perpensa, labor extra domum implicabat.

Superatis primis oeconomicis angustiis, propriam instituit officinam Vestiariam, ex qua lucrum obtinere potuit, operans ad exemplum Familiae Nazarethanae. Eius vitae testimonio variae allectae sunt puellae Salmanticenses, quae domi Bonifatiae diebus dominicis et festivis, horis vespertinis conveniebant, ut ita a funestis illius aetatis delectationibus fugerent et sic eius officina apertam condicionem apostolicam et socialem in tuenda mulieris dignitate adipisceretur. Unanimiter consilium ceperumt Associationem Immaculatae Conceptionis et Sancti Ioseph vel Associationem Iosephinam instituendi.

Anno MDCCCLXX Salmanticam ad Sedem religiosam vulgo *Clerecía* pervenit pater Franciscus Butinyà i Hospital, sodalis Societatis Iesu, oriundus ex oppido *Banyoles* (Girona), ubi die XVI mensis Aprilis anno MDCCCXXXIV primum lumen viderat. Hic fervens apostolus maiorem in dies experiebatur sollicitudinem de operariis ad fabriles labores intentis. Bonifatia elegit eum moderatorem spiritus. Per eam Pater Butinyà convenire coepit cum puellis quae in officina se congregabant, ex quibus pleraeque erant operariae. Spiritus Sanctus mentem eius movit ad novam religiosam Congregationem instituendam,

quae tueri posset mulieres operarias pauperes, adiutrice utendo opera harum ipsarum puellarum. Bonifatiam invitavit ut secum Congregationem conderet. Bonifatia, per se oboediens, eius optatis annuit, et ducens sex amicas Associationis Sancti Ioseph, quas inter ipsa eius mater adnumerabatur, Salmanticae communitatis vitam iniit die X mensis Ianuarii anno MDCCCLXXIV in sede suae officinae. Tribus ante diebus, Episcopus Lluch i Garriga dioecesanam concesserat approbationem huius novae Congregationis, unde in Ecclesia originem habuerunt *Servae Sancti Ioseph*.

Agebatur de miro novoque proposito vitae religiosae femininae, fabrili operi deditae sub lumine contemplationis Sanctae Familiae, ita ut in singulis Congregationis domibus Nazarethana officina conderetur. Illic enim egenis mulieribus labore carentibus facultas offerebatur laborandi, ut pericula depellerentur in quae incidere possent ob laborem extra domum. Haud dubie agebatur de forma vitae religiosae periculis subiecta, qua de re mox ortae sunt dissensiones; quin immo haec forma oppugnata est a clericis dioecesis Salmantinae, qui evangelicam huius propositi vitae medullam in ambitu laboris percipere non potuerunt.

Post tres menses a condita Congregatione, politicis de causis Franciscus Butinyà abfuit ex urbe Salmanticensi, tunc duo novi moderatores Instituti, inter presbyteros dioecesanos ab Episcopo electi, discordiae semina inconsulte sparserunt inter sorores, et quaedam ex iis obstiterunt quoque huic formae vivendi eiusque authenticae exspectationi apostolicae, admissionis scilicet mulieris operariae.

Mense Decembri anno MDCCCLXXXII, occasione itineris Bonifatiae in Catalauniam, moderator Congregationis, qui charisma fundatricis respuebat et evertere cupiebat ipsum Instituti spiritum, excogitavit ut Serva Dei a munere Antistitae domus Salmanticensis removeretur, et paucis annis postea, a titulo fundatricis excluderetur.

Bonifatia, omnibus servatis requisitis de iure servandis, mense Iulio anno MDCCCLXXXIII Zamore condidit novam communitatem, ibidemque primigenos apostolicos fines perquam fideliter ad rem deduxit, dum in urbe Salmantica moderator naturam ipsam mutabat Constitutionum quas Pater Butinyà apparaverat.

Primaria Domus Salmanticensis absolute est disiecta a fundatione communitatis Zamorensis, quae derelicta et segregata permansit, immo exclusa ab approbatione pontificia Instituti, quam edixerat Summus Pontifex Leo XIII die I mensis Iulii anno MCMI.

Ad iniustitias, contumelias et calumnias Bonifatia respondit tantummodo silentio et fraterna caritate, qua compulsa est ad offensiones in se illatas dimittendas et omnino obliviscendas. Profunda eminens humilitate, patientia et fortitudine, similis Iesu facta est in mysterio passionis.

Praecipuus eius spiritualitatis nucleus in eo fuit ut oratio cum labore sociaretur: ecce proprietas Servarum Sancti Ioseph, quam infudit illis earum Conditor, pater Franciscus Butinyà, Societatis Iesu, qui pro illis humilibus operariis mulieribus perspicientiam Ignatianam sic accommodavit, nempe ut Deus quaereretur et reperiretur in omnibus rebus. Serva Dei, suo dicendi genere usa, ardenter asseruit: « Artam cum Deo vitam geres si in conspectu Eius ambulas », et ita propriam vitam ad rem perduxit, quia, testibus consororibus, coram Deo iugiter ambulavit.

Clara animi perceptione et laboriosis manibus instructa, vitae intenta, Bonifatia mulier exstitit contemplationi dedita, quae singulis diebus obviam Deo se tulit. Veluti manu ducta Sancti Ioseph, praecipui exemplaris et protectoris Congregationis, ad Nazareth accessit et in propria exsistentia vitam Iesu in mysterio eius vitae occultae protraxit.

Dum Serva Dei a sororibus et ab omni populo Zamorensi sancta existimabatur, die VIII mensis Augusti anno MCMV Zamorae in Christi pace quievit.

Causa canonizationis incohata est Zamorae mense Iunio anno MCMLIV. Die I mensis Iulii anno MM vulgatum est decretum super virtutibus heroice exercitis et die XX mensis Decembris anno MMII decretum super miraculo eius intercessioni adscripto.

Quapropter statuimus ut ritus beatificationis die IX mensis Novembris anno MMIII Romae perageretur.

Hodie igitur in Patriarchali Basilica Vaticana intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Antonii Dorado Soto, Episcopi Malacitani, Pauli Schruers, Episcopi Hasseletensis, Dionysii Cardinalis Tettamanzi, Archiepiscopi Mediolanensis, Casimiri López Llorente, Episcopi Zamorensis, et Ioannis Mariae Cardinalis Lustiger, Archiepiscopi Parisiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ioannes Nepomucenus Zegrí y Moreno, Valentinus Paquay, Aloisius Maria Monti, Bonifatia Rodríguez Castro et Rosalia Rendu Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Ioannis Nepomuceni Zegrí y Moreno die undecima Octobris, Valentini Paquay die decima quarta Ianuarii, Aloisii Mariae Monti

die vicesima secunda Septembris, Bonifatiae Rodríguez Castro die sexta Iunii et Rosaliae Rendu die septima Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Spectabilis haec caeles claras dedit virtutum testificationes, praesertim christianum promovens laborem ad modum Nazarethanae Familiae. Nos huius Beatae vitam laudavimus eamque publice invocavimus omnesque adstantes hortati sumus ad eius virtutes fideliter imitandas.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IX mensis Novembris, anno Domini MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 557.499

HOMILIAE

I

In celebratione Eucharistica ob CL expletum annum a dogmate Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis definito.*

1. «*Rallegrati, piena di grazia, il Signore è con te*».[1]

Con queste parole dell'Arcangelo Gabriele, ci rivolgiamo alla Vergine Maria più volte al giorno. Le ripetiamo oggi con fervida gioia, nella solennità dell'Immacolata Concezione, ricordando l'8 dicembre 1854, quando il Beato

* Die 8 Decembris 2004.
[1] *Lc* 1, 28.

Pio IX proclamò questo mirabile dogma della fede cattolica proprio in questa Basilica vaticana.

Saluto cordialmente quanti sono oggi qui convenuti, in particolare gli esponenti delle Società Mariologiche Nazionali, che hanno preso parte al Congresso Mariologico Mariano Internazionale, organizzato dalla Pontificia Accademia Mariana.

Saluto poi tutti voi qui presenti, carissimi Fratelli e Sorelle, venuti a rendere filiale omaggio alla Vergine Immacolata. Saluto in modo speciale, il Signor Cardinale Camillo Ruini, al quale rinnovo gli auguri più cordiali per il suo giubileo sacerdotale, esprimendogli tutta la mia gratitudine per il servizio, che con generosa dedizione ha reso e continua a rendere alla Chiesa come mio Vicario Generale per la Diocesi di Roma e come Presidente della Conferenza Episcopale Italiana.

2. Quanto grande è il mistero dell'Immacolata Concezione che l'odierna Liturgia ci presenta! Mistero che non cessa di attirare la contemplazione dei credenti e ispira la riflessione dei teologi. Il tema del Congresso ora ricordato — «*Maria di Nazaret accoglie il Figlio di Dio nella storia*» — ha favorito un approfondimento della dottrina del concepimento immacolato di Maria quale presupposto per l'accoglienza nel suo grembo verginale del Verbo di Dio incarnato, Salvatore del genere umano.

«*Piena di grazia*», «κεχαριτωμένη»: con questo appellativo, secondo l'originale greco del Vangelo di Luca, l'Angelo si rivolge a Maria. È questo; il nome con cui Dio, attraverso il suo messaggero, ha voluto qualificare la Vergine. In questo modo Egli l'ha pensata e vista da sempre, *ab aeterno*.

3. Nell'inno della Lettera agli Efesini, poc'anzi proclamato, l'Apostolo loda Dio Padre perché «ci ha benedetti con ogni benedizione spirituale nei cieli, in Cristo».[2] Con quale specialissima benedizione Dio s'è rivolto a Maria fin dall'inizio dei tempi! Veramente benedetta, Maria, tra tutte le donne![3]

Il Padre l'ha scelta in Cristo prima della creazione del mondo, perché fosse santa e immacolata al suo cospetto nell'amore, predestinandola quale primizia all'adozione filiale per opera di Gesù Cristo.[4]

[2] 1, 3.
[3] Cfr *Lc* 1, 42.
[4] Cfr *Ef* 1, 4-5.

4. La predestinazione di Maria, come quella di ognuno di noi, è relativa alla predestinazione del Figlio. Cristo è quella «stirpe» che avrebbe «schiacciato la testa» all'antico serpente, secondo il Libro della Genesi;[5] è l'Agnello «senza macchia»,[6] immolato per redimere l'umanità dal peccato.

In previsione della morte salvifica di Lui, Maria, sua Madre, è stata preservata dal peccato originale e da ogni altro peccato. Nella vittoria del nuovo Adamo c'è anche quella della nuova Eva, madre dei redenti. L'Immacolata è così segno di speranza per tutti i viventi, che hanno vinto satana per mezzo del sangue dell'Agnello.[7]

5. Contempliamo quest'oggi l'umile fanciulla di Nazaret santa e immacolata al cospetto di Dio nella carità,[8] quella «carità», che nella sua fonte originaria, è Dio stesso, uno e trino.

Opera sublime della Santissima Trinità è l'Immacolata Concezione della Madre del Redentore! Pio IX nella Bolla *Ineffabilis Deus*, ricorda che l'Onnipotente ha stabilito «con un solo e medesimo decreto l'origine di Maria e l'incarnazione della divina Sapienza».[9]

Il «sì» della Vergine all'annuncio dell'Angelo si colloca nel concreto della nostra condizione terrena, in umile ossequio alla volontà divina di salvare l'umanità non dalla storia, ma nella storia. In effetti, preservata immune da ogni macchia di peccato originale, la «nuova Eva» ha beneficiato in modo singolare dell'opera di Cristo quale perfettissimo Mediatore e Redentore. Redenta per prima dal suo Figlio, partecipe in pienezza della sua santità, Essa è già ciò che tutta la Chiesa desidera e spera di essere. È l'icona escatologica della Chiesa.

6. Per questo l'Immacolata, che segna «l'inizio della Chiesa, sposa di Cristo senza macchia e senza ruga, splendente di bellezza»,[10] precede sempre il Popolo di Dio, nel pellegrinaggio della fede verso il Regno dei cieli.[11]

Nella concezione immacolata di Maria la Chiesa vede proiettarsi, anticipata nel suo membro più nobile, la grazia salvatrice della Pasqua.

[5] Cfr *Gn* 3, 15.
[6] Cfr *Es* 12, 5; *1 Pt* 1, 19.
[7] Cfr *Ap* 12, 11.
[8] Cfr *Ef* 1, 4.
[9] *Pii IX Pontificis Maximi Acta, Pars prima*, p. 559.
[10] Prefazio.
[11] Cfr *Lumen gentium*, 58; Enc. *Redemptoris Mater*, 2.

Nell'evento dell'Incarnazione incontra indissolubilmente congiunti il Figlio e la Madre: «colui che è suo Signore e suo capo e colei che, pronunciando il primo *fiat* della Nuova Alleanza, prefigura la sua condizione di sposa e di madre».[12]

7. A Te, Vergine Immacolata, da Dio predestinata sopra ogni altra creatura quale avvocata di grazia e modello di santità per il suo popolo, rinnovo quest'oggi in modo speciale l'affidamento di tutta la Chiesa.

Sii Tu a guidare i suoi figli nella peregrinazione della fede, rendendoli sempre più obbedienti e fedeli alla Parola di Dio.

Sii Tu ad accompagnare ogni cristiano nel cammino della conversione e della santità, nella lotta contro il peccato e nella ricerca della vera bellezza, che è sempre impronta e riflesso della Bellezza divina.

Sii Tu, ancora, ad ottenere pace e salvezza per tutte le genti. L'eterno Padre, che Ti ha voluta Madre immacolata del Redentore, rinnovi anche nel nostro tempo, per mezzo tuo, i prodigi del suo amore misericordioso. Amen!

II

In prima missa Natalis Domini.*

1. «*Adoro Te devote, latens Deitas*».

In questa Notte, mi risuonano nel cuore le prime parole del celebre Inno eucaristico, che mi accompagna giorno dopo giorno in quest'anno particolarmente dedicato all'Eucaristia.

Nel Figlio della Vergine, «avvolto in fasce» e deposto «in una mangiatoia»,[1] riconosciamo e adoriamo «il Pane disceso dal cielo»,[2] il Redentore venuto sulla terra per dare la vita al mondo.

2. Betlemme! Nella lingua ebraica la città dove secondo le Scritture nacque Gesù significa «casa del pane». Là, dunque, doveva nascere il Messia, che avrebbe detto di sé: «Io sono il pane della vita».[3]

[12] *Redemptoris Mater*, 1.

* Die 25 Decembris 2004.

[1] *Lc* 2, 12.

[2] *Gv* 6, 41.51.

[3] *Gv* 6, 35.48.

Assiduus exstitit et aestimatus contionator exercitiorum spiritualium; confessarius et spiritualis moderator apud complures religiosarum sororum communitates tam intra quam extra urbem; de mandato Archiepiscopi Pisani, Cardinalis Petri Maffi, qui suum confessarium elexit, curam adhibuit de sacerdotibus in difficultate versantibus. Varia excogitans incepta spiritualem populi vitam promovit, animum peculiariter intendens ad iuvenes et ad familias. Quamvis longinquus a Sardinia, solidamento Instituti, quod nuper condiderat, diligenter consuluit. Bis in anno conveniebat cum Sororibus, quibuscum frequens instituebat epistolare commercium, ut ad christianam perfectionem eas duceret. Eas hortari consueverat ad colendam orationem, humilitatem, caritatem fraternam, patientiam in tribulationibus, gaudium Deo famulandi et regulae observantiam. Iisdem suadebat ut Sanctum Ioseph patronum haberent vitaeque exemplum. « Exopto – scribebat anno 1911 – ut memoria teneatis Sanctum Ioseph esse veluti exemplum vestrum ad Iesu et Mariae serviendum, quibus servitium praestitit in silentio, in oratione, in labore... Sanctus Ioseph tacet et abditus vitam degit omnibusque ignarus in taberna. Erat autem cum Iesu et Maria. Et per constantem orationem vitam communionis cum Deo nutriebat... et operabatur ut nos doceret de otio vitando ».

Quidquid alios docebat Servus Dei ferventer ac constanter ad rem deducebat. Vivaci praeditus ingenio, firma voluntate nec non aperta officii conscientia, constans ostendebatur in propositis, tenax in inceptis, fortis in difficultatibus, patiens in tribulationibus, severus in seipsum, Dei gratia semper confidens. Ita, cotidianam degens vitam, opere implevit ea quae Paulus discipulum Timotheum docebat: « Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu... Collabora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans implicat se saeculi negotiis, ut ei placeat, qui eum elegit; si autem certat quis agone, non coronatur nisi legitime certaverit » (*2 Tim* 2, 1. 3-5). Etenim Servus Dei secundum Evangeli placita certavit, id est, secundum normas veritatis et caritatis, quae tamquam columnae sustinuerunt eius aedificium spirituale et arma eius indefatigabilis apostolatus.

Vixit, locutus et operatus est sub lumine fidei, de qua sive laicus sive presbyter testimonium alacriter perhibuit. Mente et corde fidelem se praebuit erga divinam revelationem Ecclesiaeque magisterium. Panem verbi Dei largiter et efficaciter dispersit populo, clero, sacrorum alumnis, religiosis sororibus. Liturgiam praediligens, sacra mysteria profunda pietate celebrabat et Sanctissimam Eucharistiam diuturna prosequebatur adoratione. Oratio exstitit spiratio eius animae. Singularem coluit devotionem erga Passionem et Mortem Domini, erga Beatissimam Virginem Mariam et Sanctum Ioseph. In caritate ambulavit Christum vestigiis persequens, qui « tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (*Eph* 5, 2). In toto corde, in tota anima, in tota mente Dominum dilexit (cf. *Mt* 22, 37) et proximum sicut ipse Christus nos docuit (cf. *Io* 13, 34). Ut Deo placeret, quaesivit cum Illo coniungi, voluntatem eius adimplevit, incessanter operatus est pro eius gloria, fidelem se ostendit erga vocationem et sacerdotalem missionem, nec non erga suam religiosam consecrationem. In scriptis asserebat tres esse gradus amoris Dei: « De Eo meditari, pro Eo operari, pro Eo pati. Tertius gradus alios duos continet, et hic solus sufficit ad imaginem Iesu Christi plene suscipiendam ». Addebat insuper: « Conformatio ad voluntatem Dei, praesertim in tribulationibus et adversitatibus, genuinum est testimonium amoris Dei ». Perquam sollicitum se ostendit de animarum salute et, ut per vias Domini eas duceret, plurima oppetivit sacrificia et labores. Materiale et spirituale bonum promovit sacerdotum, sacrorum alumnorum, sodalium Oblatorum Beatae Mariae Virginis, Filiarum a Sancto Ioseph et omnium qui largitatem eius quaerebant vel sacerdotale ministerium. Prospexit pauperibus, operariis, infirmis, amicis et inimicis. Firmiter tuebatur veritatem et iustitiam, attamen omnibus in adiunctis benignitatem praeoptabat et misericordiam. Tribulationes, quibus in vitae

decursu afficiebatur, spiritualem pacem exstinguere non potuerunt nec studium eius Deo et proximo serviendi deminuere. Fortitudinem suam et spem in Domino posuit. Abhorrens a mundi illecebris, caelestia bona appetivit et sapienter elegit instrumenta quae magis idonea ad propriam ceterorumque sanctificationem videbantur. Excoluit temperantiam, mortificationem, spiritum sacrificii, prudentiam in loquendo et in agendo, sinceritatem, dominium suiipsius, iustitiam erga Deum et proximum. Exemplum imitatus est Christi pauperis, casti, oboedientis. Humilitatis aromate verba et opera perfudit.

Ad extremum usque vitae Servus Dei progressus est in sanctitate. Pisana in urbe, die 5 mensis Maii anno 1916 quasi ex improviso animam suam Domino exhalavit.

Fama sanctitatis, qua vivens Dei Servus exornabatur, annorum decursu confirmata est maxime apud sodales Oblatos Beatae Mariae Virginis et Sorores Filias a Sancto Ioseph. Causa beatificationis et canonizationis inchoata est ab Archiepiscopo Pisano, qui, de Apostolicae Sedis licentia, Processum Cognitionalem annis 1982-1984 instruxit, cui additus est Processus Rogatorialis Archidioecesis Arborensis. Congregatio de Causis Sanctorum die 16 mensis Ianuarii anno 1987 iuridicam harum Inquisitionum canonicarum validitatem comprobavit. Consultores Historici die 6 mensis Februarii anni praecedentis in Sessionem iam convenerant. Expletis omnibus tabularii inquisitionibus et *Positione* ad finem perducta, disceptatum est, ad normam iuris, num Servus Dei virtutes heroicum in modum exercuerit. Die 30 mensis Septembris anno 2003 actus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum.

Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 20 mensis Ianuarii currentis anni 2004, audita Relatione Ponentis Causae, Excellentisimi Domini Ottorini Petri Alberti, Archiepiscopi emeriti Calaritani, edixerunt presbyterum Felicem Prinetti in excolendis virtutibus theologalibus, cardinalibus eisque adnexis heroicum attigisse fastigium.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu eroico, Servi Dei Felicis*

Prinetti, Sacerdotis professi Congregationis Oblatorum Beatae Mariae Virginis, Fundatoris Congregationis Sororum Filiarum a Sancto Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SANCTI IACOBI IN CHILE

Canonizationis beati Alberti Hurtado Cruchaga Sacerdotis professi Societatis Iesu (1901-1952)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Albertus Hurtado Cruchaga in civitate *Vinea Maris* in Chilia natus est die 22 mensis Ianuarii anno 1901. Post lauream in iure consecutam, Societatem Iesu ingressus est anno 1923 et ordine presbyterali auctus est anno 1933. In Universitate Catholica urbis Sancti Iacobi in Chilia docuit, sedulum exercens apostolatum inter iuvenes et sacerdotis curatoris dioecesani nationalisque officio in Actione Catholica fungens. Pro hospitio et adsiduitate pauperibus sine tecto praebendis *El Hogar de Cristo* fundavit. Die 18 mensis Augusti anno 1952 pie in Domino quievit.

Die 16 mensis Octobris anno 1994, Summus Pontifex Ioannes Paulus II eum in numerum Beatorum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem Vivianae Marcellae Galleguillos Fuentes, adulescentis Chiliensis, quae, die 28 mensis Iulii anno 1996, decimum sextum aetatis agens annum, in magno super viam occurrit accidente vehiculorum automobilium ingentia damna ossium capitis cerebrique accipiens.

Plurimae clinicae scrutationes sive intra sive extra valetudinarium confectae crassi haematomatis epiduralis praesentiam in regione frontali et parietali-temporali dextera ostenderunt cum structurarum ossium axisque mediani discessione et unci cerebri hernia. Cum re neurologica in peius rueret, adulescens mane ipsa accidentis urgentius chirurgicae caesioni commissa est, quae compressionem cranii laxaret et haematoma evacuaret. Postea in loculamentum valetudinarii intensivis curationibus sepositum translata est.

Die 29 mensis Iulii vero, aedematis pulmonarii causa, res adhuc in gravius verterunt. Pressio enim interior cranii insurgebat, status lethargi comatis profundus manebat, pressio sanguinis arteriarum deminuebat et mydriasis pupillae dexterae persistebat. Praeterea, hemiparesis laevae partis corporis accesserat. Dein adfectiones septicae bronchiorum pulmoniumque et paralysis ilei prodiverunt.

Prognosis igitur summe anceps erat quoad vitam sicut et quoad valetudinem.

Tamen, iam inde ab initio infirmitatis, parentes, aliqui propinqui et amici adulescentis ad divinum confugerant auxilium per intercessionem Beati Alberti Hurtado Cruchaga. Mane diei 6 mensis Augusti, contra omnem medicorum praevisionem, rapido profectu ipsa convalescere coepit usque ad completam sanationem.

De hac sanatione, extemplo mira aestimata, apud Curiam Vallis Paradisi, anno 2001, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 15 mensis Februarii anno 2002 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione diei 8 mensis Octobris anno 2003 sanationem rapidam, completam, duraturam et recuperationem usus facultatum neurologicarum et psychicarum infirmae inexplicabilem secundum scientiam fuisse affirmavit. Die 6 mensis Februarii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et insequenti die 2 mensis Aprilis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Eminentissimo Domino Cardinali Augustino Cacciavillan. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis

Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Alberti Hurtado Cruchaga, Sacerdotis professi Societatis Iesu, videlicet de rapida, completa ac duratura sanatione Vivianae Marcellae Galleguillos Fuentes a « vasto ematoma extra-durale post-traumatico con frattura cranica, spostamento delle strutture mediane ed erniazione dell'uncus, coma profondo, infezione polmonare e pneumotorace spontaneo, ileo paralitico, emiparesi sinistra ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

URGELLENSIS

Beatificationis seu Declarationis martyrii Servorum Dei Iosephi Tapies Sirvant et VI Sociorum Sacerdotum dioecesanorum († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

Presbyteri, « populum Dei regentes et pascentes, caritate Boni Pastors incitantur ut animam suam dent pro ovibus suis (cf. *Io* 10, 11), parati quoque ad supremum sacrificium, exemplum sequentes sacerdotum qui etiam hodiernis temporibus vitam suam ponere non renuerunt » (Conc. Oec. Vat. II, Decretum de presbyterorum ministero et vita *Presbyterorum Ordinis*, 13).

Inter sacerdotes qui Boni Pastoris caritatem sunt imitati, fidem per supremum vitae sacrificium testificantes, adnumerandi sunt etiam Servi Dei Iosephus Tapies Sirvant et VI Socii, dioecesis Urgellensis presbyteri, qui omnes die 13 mensis Augusti anno 1936 apud coemeterium urbis *Salàs de Pallars* manuballista transfossi sunt. Ipsi enim, divina gratia roborati, cum in Hispania annis 1936-1939 dira adversus Ecclesiam vexatio saeviret, Evangelium nuntiaverunt impavidi mortemque maluerunt quam Christum prodere,

pro certo habentes Iesum Dominum Salvatoremque hominis esse ideoque in Ipso tantum genuinam vitae plenitudinem consistere.

Hi autem sunt:

1. *Iosephus Tapies Sirvant*. Natus est die 15 mensis Martii anno 1869 in vico *Pons* intra fines dioecesis Urgellensis, in provincia Ilerdensi. Postquam ordinem presbyteratus anno 1892 recepit, organarii musicesque magistri munere functus est in paroecia urbis *Salàs de Pallars*. Fraterna in alios sacerdotes caritate praestavit, sollicitudine quoque eminens in pauperes et aegrotantes adhibita; praeterea probatus exstitit confessarius idemque professor apud patrium collegium Sororum a Sacra Familia. Die 18 mensis Iulii anno 1936, dum una cum nonnullis adulescentibus in peragratione versatur, quamvis de instanti periculo certior factus, statuit paroeciam repetere, ubi suum confessarii munus obiret. Qui postea, cum reiecisset effugium, mirabili audacia publice reclamavit quosdam presbyteros in iniqua custodia detineri. Vestem talarem captus deponere recusavit idemque forti ac constanti animo per manuballistam interfectionem subiit, cum autem contenderet catholicam religionem, quamvis tum temporis vexaretur, quomodocumque esse triumphaturam.

2. *Paschalis Araguás Guardia*. Natus est die 17 mensis Maii anno 1899 in vico *Pont de Claverol* intra fines dioecesis Urgellensis. Sacro ordine presbyteratus anno 1923 recepto, in plurimis paroeciis ministerium praestavit priusquam anno 1929 parochus vici *Noales* renuntiaretur. Christianae religionis praecepta studiose tradidit omnemque curam in sacris orationibus habendis posuit; pius erga infirmos, etiam paroeciali templo restituendo operam navavit. Exardescente vexatione ad sororem confugit, animi vim qua futura pericula adiret in oratione inveniens. A militianis captus, dum locum internecionis petitur, calceos deposuit, profitens se Divinum Redemptorem, qui Calvariam nudo pede ascendit, imitari velle.

3. *Silvester Arnau Pascuet*. Natus est die 30 mensis Maii anno 1911 in vico *Gósol* intra fines dioecesis Urgellensis. In Seminario Urgellensi, mox in Universitate Gregoriana in Urbe studiorum causa versatus, ordinem presbyteratus recepit anno 1935. Cum postea auxilio parochi urbis *Salàs de Pallars* missus esset, utilem in adulescentibus apostolatum exercuit. Die 23 mensis Iulii anno 1936 una cum parocho in vincula coniectus, usque ad diem 13 mensis Augusti ibidem cum eo fuit. Pollicente militiano se eum, dummodo fidem desereret, non esse interfecturum, recusavit ideoque manuballista est necatus.

4. *Iosephus Boher Foix*. Natus est die 2 mensis Novembris anno 1887 in vico *San Salvador de Toló* intra fines dioecesis Urgellensis. Ordinem presbyteratus recepit anno 1914, qui exinde, vici *Pobleta de Bellvehí* parochus renuntiatus, apud fideles bonitate ac diligentia floruit, cum etiam propter sermonis lepiditatem doctrinamque probaretur. Coram militianis, qui eum ceperunt die 13 mensis Augusti anno 1936, confessus est se minime timere, quippe qui interfectus caelum ocius petiturus esset. Qui in ipsa nece, sibi per manuballistam inflicta, carnificibus ignovit, nummos illis, quos secum ferebat, tradens, laudibusque Christum Regem celebravit.

5. *Franciscus Castells Brenuy*. Natus est die 31 mensis Iulii anno 1866 in vico *Pobla*. Sacro presbyteratus ordine anno 1889 recepto, licentiam theologiae, mox iuris canonici meruit doctoralemque lauream theologiae est adeptus. Postquam in nonnullis paroeciis ministerium exercuit, in patriam se recepit idemque postea, utpote comis atque moribus egregius, paroeciae *Poal* renuntiabatur oeconomus. Die 21 mensis Iulii anno 1936 captus exsecranda in Deum proferre, licet militianis minitantibus, recusavit; cum paulisper die 31 mensis Iulii dimissus esset, denuo captus una cum ceteris Servis Dei martyr occubuit.

6. *Petrus Martret Moles*. Natus est die 5 mensis Iulii anno 1901 in urbe *Urgellensi*. Sacerdotio auctus anno 1925, in plurimis dioecesis paroeciis coadiutoris munere functus est donec anno 1931 magnae urbis *Salàs de Pallars* parochus renuntiabatur. Bonus, humilis doctusque floruit apud amicos et adversarios, idemque facundus orator et Christianae doctrinae praeceptor insignis. Nocturno tempore inter dies 22 et 23 mensis Iulii anno 1936 captus una cum suo Vicario D.no Silvestre Arnau Pascuet, cruciatus et dedecora passus est. Cum autem reiecisset effugium, affirmavit se in caelo pro triumpho Ecclesiae oraturum.

7. *Iosephus Ioannes Perot Juanmartí*. Natus est die 30 mensis Maii anno 1877 Bononiae in Gallia. Sacro presbyteratus ordine anno 1903 recepto, in nonnullis suae dioecesis paroeciis ministerium exercuit, cum postea parochus fieret in vico *San Juan de Viñafrescal*, apud urbem *Salàs de Pallars*. Exardescente vexatione, ut suae paroeciae fidelibus adesset, qui ipsius bonitatem, aequitatem doctrinamque magni existimabant, reiecit effugium. Martyrium ianuas caeli sibi aperire contendit seque carnificibus aequo animo tradidit.

Quos viros Populus Dei statim pro martyribus fidei habuit. Iam annis 1946-1948 Causa beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iosephi Tapies Sirvant inita est per Processum Ordinarium Urgellensem perque Ro-

gatorialem Ilerdensem, quos duplex Processus Suppletivus annis 1952-1954 secutus est. Quorum omnium et singulorum validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 27 mensis Martii anno 1992 latum. Anno vero 1993 super martyrio ceterorum Servorum Dei Inquisitio dioecesana peracta est, cuius validitas iuridica rata est ab eadem Congregatione per decretum die 5 mensis Decembris anno 1997 latum. Instante autem Exc.mo Episcopo Urgellensi, die 13 mensis Martii anno 1998 hoc Dicasterium unionem Causarum decrevit. *Positione* confecta, disceptatum est, secundum normas, de adserto Servorum Dei martyrio. Die 11 mensis Novembris anno 2003 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 17 mensis Februarii anno 2004 congregata, audita relatione Excellentissimi D.ni Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, Causae Ponentis, agnoverunt Servos Dei Iosephum Tapies Sirvant et VI Socios propter fidelitatem erga Christum interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servorum Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Iosephi Tapies Sirvant et VI Sociorum, sacerdotum Dioecesis Urgellensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VALENTINENSIS seu VIVARIENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Petri Vigne Sacerdotis dioecesani fundatoris Congregationis Sororum a SS.mo Sacramento (1670-1740)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Petrus Vigne natus est *Private* in Gallia die 20 mensis Augusti anno 1670. Ministerio pastorali sedulam dedit operam, praesertim praedicationi in itinere, muneri confessiones audiendi ac devotioni erga Passionem Domini et Eucharistiam diffundendae. Congregationem Sororum a Sanctissimo Sacramento fundavit. In medio apostolicae suae navitatis die 8 mensis Iulii anno 1740 in Domino quievit.

Die 7 mensis Iulii anno 2003, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servum Dei virtutes theologales, cardinales eisque coniunctas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram quamdam sanationem in Brasilia occursam Franciscae Ivanigrae Pinheiro de Lucena, cui, die 23 mensis Decembris anno 1987, diagnosis dicta est tumoris stomachi generis diffusi secundum rationem a *Lauren* definitam. In Valetudinario Generali Fortalexiae ergo aegrota chirurgicae sectioni commissa est ad stomachum fere totum subtrahendum. Chirurgus vero tumorem, propinquitatis causa, laevam ipsam iecoris partem pervadisse recognovit.

Insequenti tempore, interea condiciones aegrotae, quae die 3 mensis Februarii anno 1988 valetudinarium excedere voluerat contra sententiam medicorum, ut domi diem suum obiret, in gravius ruerunt, cum ipsa signa ostendere coepit tenuationis, sanguinis inopiae et cruciatuum.

Prognosis igitur infausta quoad vitam in brevi tempore dicta est.

Tum Sororis cuiusdam Congregationis a Sanctissimo Sacramento consilio, die 11 eiusdem mensis ad divinum auxilium per intercessionem Venerabilis Servi Dei Petri Vigne pro sanatione infirmae apud Deum impetranda decursum est. Biduo post vero valetudo aegrotae rapide in melius vertit, usque ad sanationem sub fine novendialis supplicationis, ita ut ipsa negotia sua ordinaria recuperare posset.

De hac sanatione, extemplo mira aestimata, anno 1998 apud Curiam Cratensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 15 mensis Octobris anno

1999 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione diei 23 mensis Iunii anno 2003 sanationem rapidam, completam, duraturam fuisse affirmavit, haec adiciens: «Sanatio inexplicabilis est quoad modum secundum scientiam, ratione habita iuvenilis aetatis aegrotae, gravitatis generis histologici tumoris stomachi eius, pervasionis neoplasticae profunditatis et laevae iecoris parti adhaerentiae». Die 15 mensis Ianuarii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et insequenti die 16 mensis Martii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Petri Vigne, Sacerdotis Dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum a SS.mo Sacramento, videlicet de rapida, completa ac duratura sanatione Franciscae Ivanigrae Pinheiro de Lucena a «neoplasia della piccola curva gastrica, definita come "cancro diffuso" secondo la classificazione di Lauren, in soggetto di 44 anni, con condizioni generali notevolmente scadute».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 19 mensis Aprilis A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Piae Mastena (in saec.: Teresiae Mariae) fundatricis Instituti Religiosarum a Sancto Vultu (1881-1951)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Pia Mastena, in saeculo Teresia Maria, in vico v. d. *Bovolone*, in provincia Veronensi, nata est die 7 mensis Decembris anno 1881. Primum in Congregationem Sororum a Misericordia, dein inter Moniales Cistercienses ingressa, voluntati Dei ad amussim cohaerens, Congregationem Religiosarum a Sancto Vultu pro aegrotis, pauperibus senibusque assidendis et iuvenibus in christianis moribus instituendis fundavit. Superiorissa Generalis Instituti fuit usque ad mortem, quae die 28 mensis Iunii anno 1951 occurrit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 5 mensis Iulii anno 2002, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis Venerabilis Servae Dei respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertum subiecit mirum casum Mariae Azzurrae De Lollis, quae ad septimum praegnationis mensem, die 5 mensis Maii anno 1970, praemature in lucem prodiit. Ad ortum vero asphyxiam cum cordis pulsu et respirationis absentia ostendebat, colorem cyanoticum et relaxationem musculorum.

Fere post 15 vel 20 sexagesimas horae partes in tantis consummatas conatibus redanimationis per insufflationem alitus, oxygeni inductionis, cordis malaxationis et inoculationis adrenalinae, status asphycticus sine ullo profectu persistebat. Infans, ergo, clinice mortua a medicis curantibus, inter quos ipse pappus eius, dicta est.

Nihilominus, Soror quaedam a Sancto Vultu, in aula partus valetudinarii ministra, medicis consentientibus, infantem assumpsit, quam in machinam incubationis posuit, ad divinum auxilium per intercessionem Matris Mariae Piae Mastena ferventer confugiens, parvam Mariam Azzurram Servam Dei refecturam esse confisa. Novam praeterea cordis malaxationem adhibuit et oxygenum in pusillum corpus infantis inflavit et, contra omnes medicorum praevisionem, infans spiritum trahere et gradatim cordis pulsus recuperare incepit. Nec ulla in cerebro implicatio neque alterationes pulmonium evaserunt: puella enim omnino sana crevit.

De hoc casu annis 2000-2001 apud Vicariatum Urbis Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 5 mensis Aprilis anno 2002 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione diei 4 mensis Decembris eiusdem anni redintegrationem actuum respirationis subitaneam et sanationem completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam fuisse affirmavit. Die 26 mensis Martii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 1 insequentis mensis Iunii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, affirmativum responsum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Piae Mastena (in saec.: Teresiae Mariae), Fundatricis Instituti Religiosarum a Sancto Vultu, videlicet de subitanea, completa ac duratura sanatione infantis Mariae Azzurrae De Lollis a « sindrome asfittica prolungata in neonata pretermine, grande immatura per la breve età gestazionale ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MONTIS REGALIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Iosephae Suriano Christifedelis laicae (1915-1950)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Iosepha Suriano nata est in vico *Partinico*, intra fines Archidioecesis Montis Regalis in Sicilia, die 18 mensis Februarii anno 1915. Naviter accessit ad missionem Ecclesiae utpote plurium consociationum laicorum socia. Iam inde a iuventute enim laicorum consociationi illi, cui nomen « Azione Cattolica », adhaesit, in qua sedulo et fructuose ad puellarum iuvenumque institutionem incubuit. In paroecia Piam Unionem Filiarum Mariae fundavit ac rexit. Sodales fuit Conferentiarum Sancti Vincentii de Paul et missiones catholicas Universitatemque Studiorum a Sacro Corde opibus suis sustinuit. Hostiam pro sanctificatione sacerdotum se obtulit. Die 19 mensis Maii anno 1950 pie obiit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 18 mensis Februarii anno 1989, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis Venerabilis Servae Dei respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum nuper assertum subiecit mirum casum Isabellae Mannone, iuvenis Lilybaei in provincia Drepanensis, quae, die 14 mensis Iunii anno 1992 dum pyelo insidebat, electricam emissionem excepit instrumenti crinis siccatorii deiectu excussam.

Accidens in toto corpore excussiones iuveni procuderat, sicut et artuum rigorem, statum spiritus suffocationis, conscientiae amissionem et grave vulnus in laevo gluteo. Mater eius, quae promptissime clamoribus filiae auxilio accurrerat, identidem intercessionem Servae Dei Iosephae Suriano invocans, claviculam electrici fluxus interruptricem ad positionem inertiae movit et Isabellam e pyelo deprompsit, quae paulatim revaluit.

Cum dein in valetudinarium deducta esset, ipsi vulnus, quod iam supra diximus, in laevo gluteo recognitum est una cum signis celerioris cordis pulsus. Quibus autem exceptis, aegra alias haud ostendit aerumnas.

De hoc evaso periculo mortis, intercessioni Servae Dei tributo, Episcopus Mazariensis annis 1997-1998 instruxit Inquisitionem dioecesanam, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 3 mensis Iunii anno 2000 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum plu-

ries exquisivit casum et in sessione diei 15 mensis Maii anno 2003 « eventum aestimari posse utpote periculum evasum inexplicabilem secundum scientiam ob absentiam infaustorum effectuum, qui ex ipso eventu exoriri possent » affirmavit. Post Congressum Peculiarem Consultorum Theologorum diei 21 mensis Novembris anno 2003, Inquisitio Suppletiva habita est. Die 5 mensis Maii anno 2004 alter Congressus Peculiaris factus est et die 1 insequentis mensis Iunii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum prolatum est affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicto miro eventu conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Iosephae Suriano, Christifidelis laicae, videlicet de periculo evaso ab infaustis effectibus qui exorire possent a « folgorazione da scarica elettrica in soggetto immerso in acqua, con marchio elettrico nella regione glutea sinistra » iuvenis Isabellae Mannone.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PATAVINA seu VICENTINA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Eurosiae Fabris vid. Barban matrisfamilias ex III Ordine S. Francisci Assisiensis (1866-1932)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Eurosia Fabris in vico *Quinto Vicentino*, in provincia Vicetiae, nata est, die 27 mensis Septembris anno 1866, Marolae vero intra fines municipii *Torri di Quartesolo* crevit et vixit. Anno 1886 viduo Carolo Barban nupsit, e quo novem habuit filios, quorum tres presbyteri facti sunt. Tertio Ordini Sancti Francisci adhaesit, cuius paupertatis ac laetitiae vixit spiritum. Mulier profundae fidei et actuosae erga aegrotos pauperesque caritatis, lucem Christi in familiam et in paroeciam irradiavit. Vidua effecta est anno 1930 et biduo post, die 8 mensis Ianuarii anno 1932, pie in Domino quievit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 7 mensis Iulii anno 2003, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis Venerabilis Servae Dei respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum nuper assertam subiecit miram sanationem Anitae Casonato, iuvenis, quae, die 20 mensis Maii anno 1944, vigesimum et secundum aetatis agens annum, quadraginta et quinque dies in valetudinario civitatis *Sandrigo* in provincia Vicentina ob trachiae bronchiorumque adenopathiam recepta est et, cum domum repetiisset, febrim, cibi fastidium, virium depressionem, tussim et respirationis difficultatem adhuc ostendit.

Insequentes investigationes valuerunt, ut diagnosis polyserositidis tubercularis effaretur. Perpensa inefficacia curarum, cum in diem et horam aegrotae valetudo in gravius verteret, medicus curans prognosim in brevi tempore infaustam dixit quoad vitam.

Itaque, die 30 mensis Novembris anno 1944, ipsa Anita, parocho eius, qui nuper Unctionis Infirmorum sacramentum ei ministraverat, consulente, una cum matre sua novendiali supplicatione ad divinum confugit auxilium, ut per praedictae Servae Dei intercessionem salus reficeretur. Insequenti mane medicus iuvenem omnino sanatam recognovit.

De hoc casu annis 1977-1980 apud Curiam Vicentinam Processus Cognitionalis instructus est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de

Causis Sanctorum decreto diei 14 mensis Februarii anno 2003 probatae sunt. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione diei 24 mensis Novembris eiusdem anni sanationem subitaneam, completam, duraturam et inexplicabilem quoad modum secundum scientiam fuisse affirmavit. Die 24 mensis Februarii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 4 insequentis mensis Maii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Aloysio Dossena, Archiepiscopo tit. Carpitano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, affirmativum responsum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Eurosiae Fabris vid. Barban, Matrisfamilias, ex III Ordine S. Francisci Assisiensis, videlicet de subitanea, completa ac duratura sanatione iuvenis Anitae Casonato a « polisierosite specifica ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Petri Tarrés i Claret Sacerdotis dioecesani (1905-1950)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Petrus Tarrés i Claret natus est die 30 mensis Maii anno 1905 in oppido v. d. *Manresa*, in dicione Barcinonensi. Ipse tum scholastichus tum medicus naviter vitae Ecclesiae interfuit fidemque sibi constans demonstravit. Sacro presbyteratus ordine in Archidioecesi Barcinonensi anno 1942 insignitus, multifarium ac fructuosum apostolatum exercuit, praesertim in Actione Catholica, in christiana iuvenum formatione, in re sociali inque infirmorum auxilio. Sancte in Domino obdormivit die 31 mensis Augusti anno 1950.

Quem quidem Servum Dei hodierna die Summus Pontifex Ioannes Paulus II recognovit virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Cuius Presbyteri beatificandi intuitu, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessioni tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quae quidem res pertinet ad puerum Georgium Sánchez Sánchez-Crespo, qui, undecim annos natus, die 5 mensis Februarii anno 1984 ex improviso humi corruit, sensu deficiente, hypotonia increbrescente convulsionibusque exorientibus. Postquam ille valetudinario Barcinonensi receptus est, diagnosis ponebatur de encephalitide viro pathogenico, prout videbatur, effecta. Interea, statu clinico celeriter ingravescente, manifesta vexationis cerebralis indicia exoriebantur, maximeque auctus thermicus, acidosis respiratoria, tachycardia, sensus ulterius deminutus et myocloniae. Nec optatos eventus therapia sortiebatur: quapropter prognosis edebatur tum quoad vitam tum quoad valetudinem reservatissima. Cum igitur, medicis vitam pueri desperantibus, mulieres quaedam divinam opem coepissent invocare per intercessionem supradicti Servi Dei, die 6 mensis Februarii vesperi, praeter omnem provisionem medicorum, aegrotus plane morbo levabatur, quippe myocloniis, rigore cervicali sensusque absentia dilabentibus. Ipse quidem die 13 mensis Februarii sanatus e valetudinario dimissus est, integra omnino valetudine utens.

Qua de sanatione, pro miraculo habita, apud Curiam Barcinonensem annis 1990-1991 Inquisitio Dioecesana instructa est, cuius validitas iuridica

rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 19 mensis Maii anno 2000 latum. Consilium Medicorum, in Sessione die 6 mensis Maii huius anni 2004 habita, agnovit sanationem exstitisse celerem, perfectam, stabilem, sine reliquatis, eandemque « quoad modum » scientifice inexplicabilem. Die 29 eiusdem mensis habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, cum porro subsequenti die 15 mensis Iunii Patres Cardinales et Episcopi, Excellentissimo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Petri Tarrés i Claret, Sacerdotis dioecesani, videlicet de celeri, perfecta ac stabili sanatione pueri Georgii Sánchez Sánchez-Crespo a « meningoencefalite acuta di probabile eziologia virale, con coma profondo in rapido peggioramento ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BURGENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Fratris Bernardi (in saec.: Placidi Fábrega Julià) ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis seu Parvulorum Fratrum Mariae (1889-1934)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et, omnibus perfectis, stare » (*Eph* 6, 13).

Fides et caritas arma exstiterunt quae adhibuit Frater Bernardus (in saec.: Placidus Fábrega Julià) ut Deo serviret, suo Instituto religioso et pueris quorum magister fuit doctrinae et vitae. Spiritu Sancto roboratus, alacriter adlaboravit ad Regnum Domini Iesu aedificandum, et « in die malo » christianum suum testimonium consummavit pro Dei amore sanguinem effundens.

Hic fidelis Christi discipulus die 18 mensis Februarii anno 1889 in loco v. d. *Camallera*, dioecesis Gerundensis in Hispania, ortus est a parentibus Paulo Fábrega Grau et Maria Julià Puel, qui in baptismatis lavacro nomen Placidum indiderunt ei. Quinque annos natus a patre orbatus est, quapropter mater eius, mulier acri animo ac firma fide roborata, educationem curavit. Anno 1901 Servus Dei vestigia persequi voluit Ioannis fratris maioris natu, qui ingressus erat apud Fratres Maristas a Scholis, quorum Institutum condiderat Sanctus Marcellinus Iosephus Benedictus Champagnat (1789-1840). Religiosum habitum induit anno 1904, Bernardum nomen assumens. Formationis periodo ita eminuit observantia Regulae, austeritate et caritate ut munus acceperit iuniores moderandi. Die 8 mensis Septembris anno 1905 temporariam professionem et die 30 mensis Augusti anno 1910 perpetuam emisit.

Amplum explicavit munus docendi et formandi iuvenes apud Collegia quae sunt in urbibus, nempe *Igualada* annis 1910-1914, Valentia annis 1914-1915, Barcinone annis 1916-1925. In provincia Palentiae communitatem moderatus est et regimen tenuit scholarum in locis *Vallejo de Orbó* annis 1925-1930 et *Barruelo de Santullán* annis 1931-1934, ubi metallariorum familiae morabantur. Anno 1912 in urbe *Lérida* validitatem obtinuerat diplomatis uti magister elementarius.

Servus Dei in omnibus adiunctis apostolatus ob humanas dotes christianasque virtutes aestimationem suorum superiorum, confratrum, alumnorum

et populi sibi conciliavit. Egregium magistrum se ostendit et religiosum imitandum, atque suae consecrationi et missioni fidelem. Suiipsius dominium exercuit, temperantiam, mortificationem; consilia evangelica et Regulam sui Instituti diligenter servavit, atque per viam evangelicae perfectionis humiliter ac constanter progressus est.

Fides lumen constituit et fortitudinem tam eius vitae quam actionis apostolicae. Toto corde Deum dilexit et cum ipso artam excoluit communionem sive per orationem, meditationem, oboedientiam illius voluntati, consortium cum Ecclesia, superioribus obtemperationem; sive per singularem devotionem erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu et Beatissimam Virginem Mariam, quae ductrix vitae evasit secundum Communes Fratrum Maristarum Regulas, ubi legitur: « Praecipuae excolendae virtutes in Maria sunt eius humilitas, castitas, tenera dilectio erga Iesum ». Caritatem exercuit erga proximum, omni ope prospiciens eius spirituali, morali et intellectuali bono. Etenim, praeter munus docendi ac moderandi confratres et scholam, in apostolatum catechesis incubuit, et in servitium infirmis et pauperibus praestandum. Ut filios metallariorum humanis et christianis virtutibus erudiret, varia excogitavit incepta, ex quibus recensentur associatio ex-alumnorum, associatio catholicae iuventutis et « Studiorum Circulus ». Diffusioni doctrinae socialisticae et marxianae, quae inter incolas illius populi magis in dies ingruebat, Servus Dei, ferventi onustus studio pro Regno Dei, sese opposuit per assiduum conatum formandi iuvenes ad veritatem et libertatem, incitans quoque eorundem familias ad adiutricem huiusmodi operam praebendam. In loco *Barruelo de Santullán* detexit asperitates latere et minas inimicorum Ecclesiae.

Quandoquidem auctoritas doctrinae a Servo Dei traditae testimonio eius vitae consecratae nec non magnanima caritate erga indigentes confirmabatur, haud pauci, qui socialisticam doctrinam exceperant, iterum redibant ad Ecclesiae doctrinam amplectendam. Hac quidem ratione Frater Bernardus saepe minis mortis vexatus est, attamen nihil quicquam potuit eum separare a veritate Iesu Christi praedicanda. Ineunte mense Octobri anno 1934 exardescens rerum eversio afflixit quoque regionem loci *Barruelo de Santullán*, tunc seditiosi, ex potioribus propositis, physicam Servi Dei vitam exstinguere statuerunt. Etenim primo mane diei 6 mensis Octobris illius anni, irruerunt in scholam, ubi ipse cum suis confratribus morabatur. Religiosi incursionem effugere potuerunt; attamen Servus Dei, qui pridem promptum se ostenderat ad suam vitam pro fide deponendam, sistens coram cuidam seditioso viro, aperte declaravit quisnam esset dicens: « Rector sum Collegii... ». Statim duobus manuballistae ictibus et pugionis vulnere necatus est. Corpus eius atro-

citer mutilatum in viridarium scholae est protractum. Super tumulum, eius nomini hoc scriptum appositum est: « Formator et apostolus iuventutis, vitam gessit laborando, mortem obiit indulgendo ».

Servus Dei statim verus fidei et actionis pastoralis iuvenum martyr habitus est. Idcirco Archiepiscopus Burgensis, de rogatu Fratrum Maristarum a Scholis, Causam beatificationis seu declarationis martyrii inchoavit, Ordinarium instruens Processum Informativum annis 1945-1948, cuius iuridicam auctoritatem haec Congregatio de Causis Sanctorum adprobavit die 16 mensis Martii anno 1990. *Positione* confecta, disceptatum est super adserto Servi Dei martyrio. Die 18 mensis Novembris anno 2003 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum qui favens tulerunt suffragium. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 18 mensis Maii huius anni 2004, Ponente Causae Excellentissimo D.no Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulo Cilibiensi, edixerunt Fratrem Bernardum in odium fidei esse interemptum.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servi Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Fratris Bernardi (in saec.: Placidi Fábrega Julià), ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis seu Parvulorum Fratrum Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VERAE CRUCIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Darii Acosta Zurita Sacerdotis dioecesani (1908-1931)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius» (*Sap* 4, 13-14).

Brevis fuit vita, perbreve ministerium sacerdotale et praeclara mors iuvenis presbyteri mexicani Darii Acosta Zurita, qui sponte Christum super viam Crucis secutus est et sanguinem, ut amoris et fidelitatis suae in Deum et Ecclesiam praeberet testimonium, effudit.

Servus Dei natus est in vico *Naolinco*, in dioecesi Verae Crucis in Mexico, die 20 mensis Decembris anno 1908, e Leopoldo Acosta et Dominica Zurita, qui ad baptismalem fontem nomina ei Angeli Darii imposuerunt. Sextum explens aetatis annum, primum ad eucharisticam accessit mensam, dein, manibus impositis Episcopi eius, Beati Raphaelis Guízar Valencia (1878-1938), sacramentum Confirmationis recepit. Iam inde ab infantia magna expertus est incommoda atque aerumnas, praematuro patris obitu et angustis rerum civilium adiunctis exacerbatas, quae in illo tempore populum mexicanum strenue iactabant et Ecclesiae catholicae aspere adversabant, ubi prex et negotium panis erant cotidianus. Servi Dei mater, quae pia et fortis erat mulier, labore suo quaesivit unde se ac quinque filios suos tueri posset.

Fere vicesimum tertium annum agens, Darius, cui docilis erat indoles et divini cultus amor, vocationem animadvertit ad sacerdotium et prompte optatum suum perficere conatus est, omni erga Ecclesiam et ministros eius spreta formidine persecutionis. Pecuniae superatis difficultatibus, anno 1921 seminarium ingredi potuit, ubi pietate, disciplinae observantia, studiis et corporis exercitationum dotibus emicuit: nam varios per annos pilicreporum seminarii dux fuit.

Die 25 mensis Aprilis anno 1931, Presbyteratu auctus est et die 26 insequentis mensis Maii vicarius cooperator paroeciae Dominae Nostrae ab Assumptione in civitate Verae Crucis nominatus. Citius omnium meritus est aestimationem ob liberalitatem, ob navitatem suam catechismi pueris tradendi necnon constantiam in sacramentum reconciliationis ministrandum. Cum persecutio erga Ecclesiam ingravesceret, parochus Iustinus de la Mora Servo Dei et duobus aliis vicariis cooperatoribus suasit, ut se absconderent

seu in domos suas secederent. Tres sacerdotes vero respondebant se ad omne periculum et ad ipsam mortem paratos esse, dummodo in servitio pastorali fratrum permanerent.

Die 23 mensis Iulii anno 1931 gubernator Status Verae Crucis insidiis vitae suae positis effugit, quae vero saevas generavit furias in clerum, utpote mandatorem una cum episcopo insimulatum. Post meridiem diei 25 eiusdem mensis tres vicarii ecclesiae paroeciali adstabant, pastorali ministerio intenti, cui magna intererat multitudo puerorum, qui e variis christianae doctrinae tradendae sedibus Verae Crucis illuc convenerant. Et plurimi aderant adulti. Repente ecclesiam ingressi sunt aliqui manuballistulis ignivomis armati, qui omnes presbyteros plumbis transfoderunt. Ipse Servus Dei, capite ictus, protinus occubuit.

Praefecti militum ad populi tanto scelere exterriti vitandos tumultus mandaverunt, ut corpus eius in occulto recessu sepulturae daretur. Paulo post tamen sepulcrum, a fidelibus repertum, meta factum est peregrinorum, qui Servum Dei verum martyrem fidei arbitrantur. Anno 1947 exuviae eius mortales in ecclesiam translatae sunt, ubi ipse interfectus erat.

Causa beatificationis seu declarationis martyrii inita est ab Episcopo Verae Crucis, qui annis 1994-1998 Inquisitionem dioecesanam celebravit, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 25 mensis Februarii anno 2000 probatae sunt. *Positione* conscripta, disceptatum est, more solito, an interitus Servi Dei vere martyrium fuerit. Die 15 mensis Maii anno 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, secundo exitu, factus est et die 15 insequentis mensis Iunii, Ponente Causae Excellentissimo Domino Ioanne Coppa, Archiepiscopo tit. Sertensi, acta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui agnoverant presbyterum Darium Acosta Zurita sanguinem suum effudisse, ut fidelitatis suae erga Christum summum daret testimonium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servi Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Darii Acosta Zurita, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

GUADALAIARENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Anacleti González Flores et VII Sociorum christifidelium laicorum († 1927-1928)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« In vos gloriari possumus in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis » (*2 Th* 1, 4).

Inter eos, qui saeculorum decursu firmitate, qua fidem in persecutionibus professi sunt, emicuerunt equidem Anacletus González Flores et septem Socii eius censendi sunt. Conscii enim christifideles laicos ad instaurandum ordinem temporalem secundum principia christiana vocatos esse (cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Decretum de Apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem*, n. 7), munera sua in baptismate accepta constanter vixerunt et actuose vitae ecclesiali ac sociali uti membra consociationum catholicarum interfuerunt. Aspera in Mexico initio vigesimi saeculi persecutione contra Ecclesiam flagrante, eius omnimodis libertatem et iura defenderunt. Gratia Dei operante, emori maluerunt quam unionem cum Christo et Romano Pontifice eiurare. Diversis in adiunctis annis 1927-1928 interempti sunt, sed communis omnibus eorum fuerunt fides, virtus, persecutorum venia et firma voluntas amorem Dei usque ad effusionem sanguinis testificandi.

Hi sunt:

1. *Anacletus González Flores*: natus est in vico v. d. *Tepatitlán*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 13 mensis Iulii anno 1888. Primaria institutione in

schola peracta, fere vigesimum primum agens annum aetatis, Seminarium Conciliare Sancti Ioannis Lacuum ingressus est, ubi diploma in humanis litteris consecutus est. Cum Guadalaxaram migravisset, laicorum Consociationi Catholicae Iuventutis Mexicanae adhaesit. Lauream in iure consecutus est et die 17 mensis Novembris anno 1922 Mariam a Conceptione Guerrero Figuerda uxorem duxit. Navitatem suam in societate et in re politica actuosam ac multiplicem ad Regnum Dei provehendum explicavit. Librorum studiorumque editionibus, allocutionibus et professionis advocatus exercitio adeo palam et audaciter iura catholicorum defendit, ut ab Apostolica Sede insigni Crucis pro Ecclesia et Pontifice decorari mereretur. Tantae apostolicae navitatis causa odium seditiosorum in se incendit, qui eum die 1 mensis Aprilis anno 1927 interfecerunt.

2. *Aloysius Padilla Gomez*: *Guadalaxarae* natus est die 9 mensis Decembris anno 1899. Primaria institutione in Collegio Thomae Fregoso et in Ins-tituto Societatis Iesu peracta, fere duodevicesimum agens aetatis annum, Seminarium Conciliare Sancti Ioannis Lacuum ingressus est, ubi usque ad annum 1921 degit. Cum se a Domino ad sacerdotium minime vocari intellegisset, studia ecclesiastica deseruit et ad actuosum apostolatum incubuit, pabulum spirituale e devotione erga Eucharistiam et Beatam Virginem attingens, quam praesertim sub titulo Dominae Nostrae de Guadalupe invocabat. Consociationi Catholicae Iuventutis Mexicanae suae dioecesis praefuit. Persecutione erga Ecclesiam ineunte, haud formidavit, apostolicam immo suam navitatem magis magisque exercuit. Nocte diei 1 mensis Aprilis anno 1927 comprehensus, excruciatus est et a militibus interfectus.

3. *Georgius Vargas González*: natus est in vico v. d. *Ahualulco de Mercado*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 28 mensis Septembris anno 1899. Guadalaxaram una cum familia commigravit. Consociationi Catholicae Iuventutis Mexicanae adhaesit. Fervida devotione erga Beatissimam Virginem Mariam enituit. Persecutione erga Ecclesiam saeviente, comprehensus est. Ad imminentem mortem haud timuit: unus dolor ei fuit se communicari non posse antequam supremum daret testimonium fidei, cum vero confirmatus est a fratre suo, Servo Dei Raymundo, verbis: « Noli timere! Si enim moriamur, sanguis noster culpas mundabit ». Nocte diei 1 mensis Aprilis anno 1927 interfectus est.

4. *Raymundus Vargas González*: natus est in vico v. d. *Ahualulco de Mercado*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 22 mensis Ianuarii anno 1905. Iuvenis Guadalaxaram una cum familia commigravit. Consociationi Catholicae Iuventutis Mexicanae adhaesit et in Universitate Studiorum suae civitatis Or-

dini artis medicae se ascripsit. Sedulus fuit in munera suae condicionis absolvenda orationisque spiritu enituit. Loco fratris maioris sui persecutoribus se tradidit. Una cum fratre suo Georgio nocte diei 1 mensis Aprilis anno 1927 interemptus est.

5. *Ezechiel Huerta Gutiérrez*: natus est *Magdalenae*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 7 mensis Ianuarii anno 1876. Primaria institutione in schola paroeciali peracta, studia in Instituto Status prosecutus est. Musicus et cantor probatus, has artes communitati christianae substravit. Membrum erat coetus Adorationis nocturnae Sanctissimi Sacramenti. Anno 1904 Mariam Eugeniam García uxorem duxit, e qua decem habuit filios. Anno 1923 Tertium Ordinem Sancti Francisci ingressus est. Mane diei 2 mensis Aprilis anno 1927 comprehensus est ac dire excruciatus. Martyrium una cum fratre suo Salvatore mane insequentis diei passus est.

6. *Salvator Huerta Gutiérrez*: natus est *Magdalenae*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 17 mensis Martii anno 1880 et adhuc puer Guadalaxaram una cum familia commigravit. Anno 1907 uxorem duxit Adelinam Jiménez, e qua undecim habuit filios. Anno 1921 coetui Adorationis nocturnae Sanctissimi Sacramenti se adiunxit. Die 2 mensis Aprilis anno 1927 comprehensus et excruciatus est. Insequenti die plumbis interfectus est.

7. *Aloysius Magaña Servín*: natus est *Arandae*, in Statu *Jalisco* in Mexico, die 24 mensis Augusti anno 1902 et scholam primariam apud paroeciam loci frequentavit. Cum patre suo in officina coriaria familiae laboravit. Membrum fuit Consociationis Catholicae Iuventutis Mexicanae et coetus Adorationis nocturnae Sanctissimi Sacramenti. Anno 1926 Elviram Camarena Méndez uxorem duxit, e qua duos habuit filios. Persecutione erga Ecclesiam saeviente, militibus, ut vitam fratris sui servaret, se tradidit. Die 9 mensis Februarii anno 1928, in extremo exitu hymnos Christo Regi elevans, plumbis interfectus est.

8. *Michael Gómez Loza*: natus est in vico v. d. *Paredones*, in regione *Los Altos*, Status *Jalisco* in Mexico, die 11 mensis Augusti anno 1888. Infantiam in civitate sua degit et scholam primariam apud paroeciam loci frequentavit. Guadalaxaram dein commigravit, ut ad studium iuris incumberet. Multis in inceptis pro humana et christiana operariorum institutione provehenda versatus est et inter socios fundatores Consociationis Catholicae Iuventutis Mexicanae intercessit. Anno 1922 uxorem duxit Mariam a Guadalupe Sánchez Barragán, e qua tres habuit filias. In negotiis suis advocatus ac notarii miserrimos et catholicos iniuste vexatos semper defendit. Hanc ob strenuam navitatem pluries comprehensus est. Anno 1925 ab Apostolica Sede insigni

Crucis pro Ecclesia et Pontifice honestatus est. Die 21 mensis Martii anno 1928 comprehensus est et diris post cruciatibus interemptus.

Populus Dei hos heroicos Christi testes tamquam veros martyres fidei semper habuit. Qua in annos obfirmata fama, anno 1994 Causam beatificationis seu declarationis martyrii inita est ab Archiepiscopo Guadalaiarensi, qui Inquisitionem dioecesanam celebravit, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 21 mensis Maii anno 1999 probatae sunt. *Positione* conscripta, disceptatum est, more solito, de asserto martyrio Servorum Dei. Die 15 mensis Maii anno 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum secundo exitu factus est et die 15 insequentis mensis Iunii, Ponente Causae Excellentissimo Domino Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui agnoverunt Anacletum González Flores et septem Socios in odium fidei interemptos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Anacleti González Flores et VII Sociorum, Christifidelium laicorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

LEONENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Iosephi a Trinitate Rangel Montaño Sacerdotis dioecesani, Andreae Solá Molist Sacerdotis professi e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V. et Leonardi Pérez Larios Christifidelis laici († 1927)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Multiplices sanctitatis exsistunt viae atque cuiusque congruunt cum vocatione » (Ioannes Paulus pp. II, Litt. Ap. *Novo millennio ineunte*, 31: *AAS* XCIII [2001], 288).

Quas quidem vias etiam illi sacerdotes, religiosi et laici viri triverunt, qui fidem suam per supremum vitae sacrificium testificati sunt. Inter quos nimirum adnumerandi sunt Servi Dei Iosephus a Trinitate Rangel Montaño, Andreas Solá Molist et Leonardus Pérez Larios, qui simul die 25 mensis Aprilis anno 1927 inter stationes ferriviarias locorum v. d. *Los Salas* et *Mira*, apud oppidum v. d. *Lagos Moreno*, manuballista transfossi sunt. Qui casus includitur in persecutionem illam quam Mexicanae rei publicae rectores inde ab anno 1924 usque ad annum 1928 adversus Ecclesiam catholicam concitaverunt. Tum scilicet presbyteros sacrum ministerium exercere vetuerunt, templa clauserunt tabulasque publicas constituerunt, quibus ipsi presbyteros omnes, ministerium exercentes itaque rei publicae magistratuum praescripta violantes, in sua potestate haberent. Servi Dei ulla vera causa indicta damnati sunt: damnationis autem principium odium in religionem, quam insectatores funditus e populo evertendam censebant. Illi tres simul, constantia fideque referti, minas, humiliationes variosque tum corporis tum animi cruciatus toleranter subierunt, martyrium libero et aequo animo suscipientes.

Hi nempe sunt:

1. *Iosephus a Trinitate Rangel Montaño*, Sacerdos dioecesis Leonensis. Natus est die 4 mensis Iunii anno 1887 in Urbe v. d. *de Dolores Hidalgo (Guanajuato)*, in Mexico. Sacro presbyteratus ordine anno 1919 auctus, in nonnullis paroeciis vicarii munere functus est, suumque sacerdotalem ministerium usque ad diem 7 mensis Februarii anni 1927 exercuit. Superiorum mandatis obtemperans, Praesidis Sedi municipii v. d. *Silao*, vocanti ut statum sacerdotalem in tabulas referret, minime paruit ideoque Leoniam confugit, ubi

Hebdomadae sanctae officia apud Sorores Minimas a Sancto Francisco celebravit. Feria autem sexta infra octavam Paschae, foederales copiae domum, in quam Servus Dei confugerat, perquisiverunt. Ille porro, dum in custodia habetur, suum statum sacerdotalem singulaque munera et loca, ubi ipse ministerium exercuerat, est confessus. Die 24 mensis Aprilis anno 1927, Dominica scilicet in octava Paschae, autocineto purgamentis avehendis onerario ad ferriviariam stationem Leonensem portatus est, oppidum v. d. *Lagos de Moreno* petiturus. Qui postmodum manuballista interfectus est, utpote qui rei publicae moderatorum iniussu augustissimum Sacrificium celebrasset.

2. *Andreas Solá Molist*, Sacerdos professus Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis. Natus est die 7 mensis Octobris anno 1895 in loco v. d. *Taradell* in dicione Barcinonensi, intra fines dioecesis Vicensis, in Hispania. Professione religiosa die 15 mensis Augusti anno 1913 emissa sacroque presbyteratus ordine anno 1922 recepto, extemplo in Mexicum missus est, ubi ministerium exercuit, praeceptor apud Seminarium Minus Tolucense ac praedicator indefessus. Anno autem 1925, cum leges sacerdotibus mexicanis tantum facultatem ministerii exercendi tribuerent, ipse suum apostolatum excolere clam perrexit, in domibus amicorum degens. Nec a Mexico proficisci voluit, quippe qui erga Superiores et ministerium susceptum oboedientiam fideliter observaret: neque enim poterat gregem suum sine pastore relinquere. Duobus post annis litterae missae sunt de eo, qui statim captus se sacerdotem esse confessus est. A praefecti militaris sede autocineto purgamentis avehendis onerario ad martyrium profectus est, utpote qui sacerdos esset et Eucharistiam celebrasset interficiendus.

3. *Leonardus Pérez Larios*, vir laicus, caelebs. Natus est die 28 mensis Novembris anno 1891 in loco v. d. *Lagos de Moreno* in civitate v. d. *Jalisco*, intra fines archidioecesis Guadalaiarensis, nunc vero Sancti Ioannis a Lacubus. Negotiatoris administer apud textrinum, suae familiae admodum profuit ipseque, catholicae religionis cultor, magna devotione erga Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam floruit. Captus est dum Horae Sanctae Eucharisticae adorationis, quam Pater Andreas Solá Molist in domo refugii ediderat, interest. Milites quidem eum sacerdotem esse putaverunt propter vestes et devotionem, qua ipse, Eucharistia sumpta, orabat. Ille autem minime restitit, sed postquam ad praefecti militaris sedem ductus est, iniuriis affectus, suam «viam Crucis» ad martyrium suscepit in autocineto purgamentis avehendis.

Hos viros populus Dei statim pro martyribus fidei habuit; quae fama adhuc exstat in christifidelibus pervulgata. Causa beatificationis seu declarationis martyrii inita est per Processum Informativum Leonensem, annis 1938-1940 celebratum, quem Processus Suppletivus secutus est. Quorum amborum et singulorum validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 22 mensis Ianuarii anno 1993 latum. *Positione* confecta, disceptatum est, secundum normas, super adserto Servorum Dei martyrio. Die 17 mensis Maii anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 mensis Iunii eiusdem anni congregata, audita relatione Excellentissimi Domini Ioannis Coppa, Archiepiscopi titulo Sertensis, Causae Ponentis, agnoverunt Servos Dei Iosephum a Trinitate Rangel Montaño, Andream Solá Molist et Leonardum Pérez Larios propter fidelitatem erga Christum interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servorum Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Iosephi a Trinitate Rangel Montaño, Sacerdotis dioecesani, Andreae Solá Molist, Sacerdotis professi e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, et Leonardi Pérez Larios, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ZAMORENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iosephi Sánchez del Río Christifidelis laici (1913-1928)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Succumbe voluntati Dei. Libentissimus morior, quia in agmine secundum Christum morior ».

Quae a Servo Dei Iosepho Sánchez del Río matri ipsius paulo antequam emoriretur conscripta sunt verba, mirabiliter amorem erga Christum illum peculiarem exprimunt, qui eum suscitavit atque impulit, ut impavidus persecutionem oppeteret. Ad imitationem iuvenum Ananiae, Azariae et Misaelis, qui in fornacem ignis ardentis immissi sunt dummodo ne unum et verum Deum negarent (cf. *Dn* 16-18), ipse emori maluit potius quam vinculum unionis cum Domino et Ecclesia adimere. Vitam suam ergo pro Regno Christi obtulit, palmam martyrii ab ipso strenue expetitam assequens.

Hic Redemptoris sectator in paroecia vici *Sahuayo*, in Statu *Michoacán* in Mexico, natus est die 28 mensis Martii anno 1913. Paucis diebus post ortum intermissis baptizatus est et quintum fere explens aetatis annum sacramentum recepit Confirmationis. Ob angusta illius temporis civilia adiuncta, una cum familia Guadalaxaram commigravit, ubi primariam scholam apud paroeciam loci frequentavit et cursum initiationis christianae perfecit, anno 1922 ad eucharisticam accedens mensam. Diligens in studiis fuit, cum sociis amabilis, parentibus oboediens. Assiduus in sacramentis exstitit. Vitae paroeciae actuose interfuit et peculiari erga Virginem Mariam devotione enituit, quam saepe in Rosarii precatione praesertim sub titulo Dominae Nostrae de Guadalupe invocabat.

Cum exemplum duorum fratrum suorum sequi vellet, fere decimum quartum aetatis explens annum, desiderium pro defensione fidei et iurium christifidelium catholicorum depugnandi expressit. Ad matrem suam, quae huic proposito nimiae eius iuventutis causa obsistebat, respondit: « Mater, numquam, sicut hodie, ita nobis expeditum est redemire caelum ». Multis iteratis postulationibus, denique inter milites vulgo *cristeros* nuncupatos admissus est eique bucinatoris et signiferi munera commissa sunt. Mense Aprilis anno 1927, cum Servus Dei Anacletus González Flores interemptus est, ad sepulcrum eius se contulit, ut gratiam exposceret martyrii.

Die 6 mensis Februarii anno 1928, in militiae christianae cum exercitu regulari conflictatione, equus ducis catholici interemptus est. Servus Dei equum suum illi praestitit, sic vitam eius asservans, dum ipse excipiebatur. Sponsor eius, populi legatus Raphael Picazo Sánchez, hostis acerrimus catholicae repugnationis, varia ei incassum ad mortem fugiendam obtulit latibula. Servus Dei, igitur, in presbyterium paroeciae Sancti Iacobi Apostoli uti carcerem detrusus est. Cum aliquos gallos et equum populi legati Sánchez intra muros ecclesiae subintroductos vidit, tantam profanationem ferre nequivit et honorem Domus Dei defendere conatus est. Capite summatim damnatus est. Captivitatis tempore, oratione reficiebatur et Sanctum Viaticum accipere potuit.

Vespere diei 10 mensis Februarii apud coemeterium civitatis ad necem adductus est. In itinere blasphemare recusavit et, in cruciatibus a militibus illatis, clamabat: «Vivat Christus Rex! Vivat Virgo Guadalupana!». Milites eum ferro interimere conati sunt, ne ullus fragores audiret, sed cum ille, quamvis verbera recepisset, hymnos nihilominus Christo et Beatae Virgini cantaret, praefectus militum, patientia amissa, plumbis eum affecit atque interemit.

Populus Dei eum extemplo uti verum martyrem fidei habuit. Qua fama in annos obfirmata, Causam beatificationis seu declarationis martyrii anno 1996 inita est ab Archiepiscopo Zamorensi, qui Inquisitionem dioecesanam celebravit, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctoram decreto diei 29 mensis Novembris anno 2002 probatae sunt. *Positione* conscripta, disceptatum est, more solito, de asserto martyrio Servi Dei. Deinceps haec Causa, instante Postulatore et Actorum assensu, cum Causa Servorum Dei Anacleti González Flores ac VII Sociorum, qui in eadem persecutione eodemque loco martyrium sustinerunt, iuncta est. Die 15 mensis Maii anno 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, secundo exitu, factus est et die 15 insequentis mensis Iunii, Ponente Causae Excellentissimo Domino Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum habita est, qui agnoverunt Iosephum Sánchez del Río in odium fidei interemptum esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus

Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Iosephi Sánchez del Río, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Lucae a Sancto Ioseph (in saec.: Iosephi Tristany Pujol) Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum et Leonardi Iosephi (in saec.: Iosephi Mariae Aragonés Mateu) Religiosi professi Fratrum Scholarum Christianarum et Apolloniae Lizarraga a SS.mo Sacramento Moderatricis Generalis Congregationis Sororum Carmelitanarum a Caritate necnon LXI Sociorum et Sociarum († 1936-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Si Deus pro nobis, quis contra nos? » (*Rom* 8, 31).

Amici Christi, scientes « quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum » (*ibid.*, 8, 28), forti fidentique animo etiam persecutionem et mortem obierunt. Quae quidem Pauli Apostoli sententiae animum illustraverunt Lucae a S. Ioseph Tristany Pujol, Leonardi Iosephi Aragonés Mateu et Apolloniae Lizarraga a SS.mo Sacramento, necnon LXI Sociorum et Sociarum, qui pro fide vitam suam profuderunt. Illi, qui iam semetipsos Domino donaverant, in hac oblatione in ipso laboris tempere perseveraverunt. Ipsi enim, cum annis 1936-1937 dira adversus Ecclesiam in Hispania vexatio saeviret, divina gratia roborati, se catholicos esse non celaverunt, licet atrox discrimen cognoscerent imminere. Quorum alii capti ac torti sunt, alii breviorem « Viam Crucis » confecerunt, omnibus vero cum mortis obeundae animum tum vitae aeternae fiduciam communicantibus iisque

sibi consciis se Christi de mundo eiusque sectatoribus victoriae interesse (cf. *Io* 16, 33).

Qui quidem sunt:

a) Fratres Scholarum Christianarum:

1. *Leonardus Iosephus Aragonés Mateu*, qui, L annos natus, interfectus est in loco *Traveseras* die 9 mensis Augusti anno 1936.

2. *Dionysius Aloisius Molinos Coloma*, qui, XLVI annos natus, necatus est in loco *Traveseras* die 9 mensis Augusti anno 1936.

3. *Iacobus Samuelis Chamayou Oulés*, qui, LII annos natus, *Andorram* iter faciens martyr occubuit die 18 mensis Augusti anno 1936.

4. *Chrysostomus Llorach Bretó*, qui, LV annos natus, interfectus est in loco *Vallvidrera* die 4 mensis Novembris anno 1936.

5. *Candidus Albertos Ruiz de la Torre*, qui, XXX annos natus, necatus est in loco *Vallvidrera* die 4 mensis Novembris anno 1936.

6. *Leónidas Colóm González*, qui, XLIX annos natus, in loco *Vallvidrera* die 4 mensis Novembris anno 1936 martyr occubuit.

7. *Cyrillus Petrus Manrique Arnáiz*, qui, XXVII annos natus, interfectas est Barcinone inter dies 17 et 18 mensis Septembris anno 1936.

8. *Indalecius a Maria Morón Casas*, qui, XXXVII annos natus, necatus est Barcinone inter dies 24 et 25 mensis Iulii anno 1936.

9. *Laurentius Gabriel Figueras Rey*, qui, XXIV annos natus, Barcinone die 9 mensis Augusti anno 1936 martyr occubuit.

10. *Caietanus Iosephus Palos Gascón*, qui, LI annos natus, interfectus est in loco *Pedralbes* die 25 mensis Iulii anno 1936.

11. *Caelestinus Antonius Barrio Marquilla*, qui, XXV annos natus, necatus est Barcinone die 19 mensis Augusti anno 1936.

12. *Felix Iosephus Trilla Lastra*, qui, XXIX annos natus, Barcinone die 19 mensis Martii anno 1937 martyr occubuit.

13. *Lambertus Carolus Mases Boncompte*, qui, XLII annos natus, interfectus est Barcinone die 26 mensis Decembris anno 1936.

14. *Benedictus Clemens España Ortiz*, qui, XLVII annos natus, necatus est Barcinone vertente mense Septembri anni 1936.

15. *Adulfus Marianus Anel Andreu*, qui, XXVI annos natus, Barcinone inter menses Octobris et Decembris anno 1936 martyr occubuit.

16. *Florentius Michaël García Arce*, qui, XXVIII annos natus, interfectus est Barcinone die 13 mensis Octobris anno 1936.

17. *Agapius Iosephus Carrera Comas*, qui, LV annos natus, necatus est Barcinone die 9 mensis Decembris anno 1936.

18. *Ildefonsus Aloisius Casas Lluch*, qui, L annos natus, Barcinone exeunte mense Octobri anni 1936 martyr occubuit.

19. *Benedictos Iosephus Verdalet Compte*, qui, XXXIII annos natus, interfectus est Barcinone die 25 mensis Iulii anno 1936.

20. *Iosephus Benedictus Mas Pujobrás*, qui, XXIII annos natus, interfectus est in loco *Moncada* die 25 mensis Iulii anno 1936.

21. *Marianus Leo López Martínez*, qui, XXVI annos natus, necatus est in loco *Moncada* die 25 mensis Iulii anno 1936.

22. *Vincentius Iustinus Fernández Castrillo*, qui, XXIV annos natus, in loco *Moncada* die 25 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

23. *Arnoldus Iulianus Juan Otero*, qui, XXIV annos natus, interfectus est in loco *Moncada* die 25 mensis Iulii anno 1936.

24. *Hesychius Iosephus Margenat Puigmitjá*, qui, XXXIX annos natus, interfectus est in vico *Orriols* die 10 mensis Septembris anno 1936.

25. *Franciscus Alfredus Mallo Sánchez*, qui, XX annos natus, necatus est in vico *Palamós* die 13 mensis Augusti anno 1936.

26. *Hilarius Eugenius Cuesta Padierna*, qui, XXIV annos natus, in vico *Palamós* die 13 mensis Augusti anno 1936 martyr occubuit.

27. *Edmundus Angelus Masó Llagostera*, qui, XXXIX annos natus, interfectus est in loco *Estañol* die 5 mensis Augusti anno 1936.

28. *Hemerius Iosephus Plana Rebugent*, qui, XXXVI annos natus, necatus est in loco *Riudellots de la Creu* die 12 mensis Septembris anno 1936.

29. *Hugo Iulianus Delgado Díez*, qui, XXXI annos natus, in loco *Riudellots de la Creu* die 12 mensis Septembris anno 1936 martyr occubuit.

30. *Aloisius a Iesu Marcou Pecalvel*, qui, XXXV annos natus, interfectus est Barcinone die 22 mensis Iulii anno 1936.

31. *Eusebius Andreas Roldán Vielba*, qui, XLI annos natus, necatus est Barcinone die 17 mensis Novembris anno 1936.

32. *Adulphus Iacobus Serra Hortal*, qui, LVI annos natus, in pagum *Roda*, in provincia Gerundensi, iter faciens die 7 mensis Augusti anno 1936 martyr occubuit.

33. *Michaël a Iesu Puigferrer Mora*, qui, XXXVIII annos natus, interfectus est in pago *Roda* die 12 mensis Septembris anno 1936.

34. *Victorius Anglés Oliveras*, qui, XLIX annos natus, necatus est in loco *Font del Corp*, in provincia Gerundensi, die 1 mensis Augusti anno 1936.

35. *Iacobus Bertinus Jaume Secases*, qui, XXXI annos natus, in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die 27 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

36. *Leo Iustinus del Valle Villar*, qui, XXX annos natus, interfectus est in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die 2 mensis Decembris anno 1936.

37. *Honestus Maria Pujol Espinalt*, qui, XLII annos natus, necatus est in urbe *Manresa*, in provincia Barcinonensi, die 28 mensis Iulii anno 1936.

38. *Raimundus Aegidius Serra Rovira*, qui, LX annos natus, in vico *Balsareny*, in provincia Barcinonensi, die 27 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

39. *Franciscus Maginus Tost Llavería*, qui, XXI annos natus, interfectus est in vico *Balsareny*, in provincia Barcinonensi, die 23 mensis Iulii anno 1936.

40. *Ollegarius Angelus Rodas Mas*, qui, XXIV annos natus, necatus est in loco *San Hipólito de Voltregá* die 18 mensis Augusti anno 1936.

41. *Honoratus Alfredus Pedro Calvo*, qui, XXIII annos natus, in loco *San Hipólito de Voltregá* die 18 mensis Augusti anno 1936 martyr occubuit.

42. *Eliseus Vincentius Alberich Lluch*, qui, XXX annos natus, interfectus est in vico *Valderrobles* die 25 mensis Augusti anno 1936.

43. *Valerianus Aloisius Alberich Lluch*, qui, XXXVIII annos natus, necatus est in vico *Valderrobles* die 25 mensis Augusti anno 1936.

44. *Onuphrius Tolosa Alsina*, qui, LVI annos natus, in pago *Vidreras* die 25 mensis Augusti anno 1936 martyr occubuit.

b) Moderatrix Generalis Congregationis Sororum Carmelitanarum a Caritate:

45. *Apollonia Lizarraga a SS.mo Sacramento*, quae, LXIX annos nata, interfecta est Barcinone die 8 mensis Septembris anno 1936.

c) Religiosi Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum:

46. *Lucas a S. Ioseph Tristany Pujol*, presbyter, qui, LXIV annos natus, necatus est Barcinone die 20 mensis Iulii anno 1936.

47. *Georgius a S. Ioseph Bosch Verdura*, presbyter, qui, XLVII annos natus, Barcinone die 20 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

48. *Iacobus a S. Teresia Gascón Bordas*, presbyter, qui, L annos natus, interfectus est Barcinone die 24 mensis Iulii anno 1936.

49. *Ioannes Iosephus a Iesu Crucifixo Páfila Monlláo*, religiosus, qui, XXV annos natus, necatus est Barcinone die 20 mensis Iulii anno 1936.

50. *Romualdus a S. Catharina Guillamí Rudó*, presbyter, qui, LXX annos natus, Barcinone die 24 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

51. *Petrus Thomas Mariae a Columna de Alcántara de Fortón y de Cascajares*, presbyter, qui, XLVIII annos natus, interfectus est in vico *Garraf* die 10 mensis Octobris anno 1936.

52. *Aloisius Maria a Mercede Minguell Ferrer*, presbyter, qui, XXXIV annos natus, necatus est Barcinone die 22 mensis Octobris anno 1936.

53. *Iosephus Marianus ab Angelis Alarcón Ruiz*, presbyter, qui, XXVI annos natus, in urbe *Badalona* prope Barcinonem die 6 mensis Ianuarii anno 1937 martyr occubuit.

54. *Marcellus a s. Anna Masip Tamarit*, religiosus, qui, XXII annos natus, interfectus est Barcinone vertente mense Septembri anni 1936.

55. *Antonios Maria a Iesu Bonet Seró*, presbyter, qui, XXIX annos natus, necatus est Barcinone inter dies 1 et 5 mensis Augusti anni 1936.

56. *Alfonsus a SS.mo Corde Mariae Arimany Ferrer*, presbyter, qui, XXXI annos natus, Barcinone inter dies 24 et 25 mensis Septembris anno 1936 martyr occubuit.

57. *Eduardus a Iesu Infante Farré Masip*, presbyter, qui, XXXIX annos natus, interfectus est die 25 mensis Iulii anno 1936.

58. *Gabriel ab Annuntiatione Balcells Grau*, presbyter, qui, XXVIII annos natus, necatus est die 25 mensis Iulii anno 1936.

59. *Ioachim a s. Ioseph Casas Juliá*, religiosus, qui, XXI annos natus, in loco *Moja* die 29 mensis Septembris anno 1936 martyr occubuit.

d) Sorores Carmelitae Missionariae:

60. *Spes a Cruce Subirá Sanjaume*, quae, LXI annos nata, interfecta est Barcinone die 4 mensis Augusti anno 1936.

61. *Maria Refugium a s. Angelo Roqueta Serra*, quae, LVIII annos nata, necata est Barcinone die 4 mensis Augusti anno 1936.

62. *Daniela a s. Barnaba Achurra Gojenola*, quae, XLVI annos nata, Barcinone die 31 mensis Iulii anno 1936 martyr occubuit.

63. *Gabriela a s. Ioanne a Cruce Pons Sardá*, quae, LVI annos nata, interfecta est Barcinone die 31 mensis Iulii anno 1936.

e) Alumnus Seminarii Barcinonensis:

64. *Iosephus Casas Ros*, qui, XVIII annos natus, necatus est in loco *Moja* die 29 mensis Septembris 1936.

Hos Christi sectatores Populus Dei statim pro martyribus fidei habuit. Quae quidem fama, dum labentibus annis confirmatur, anno 1952 Archiepiscopo Barcinonensi persuasit ut Causae beatificationis seu declarationis mar-

tyrii initium faceret per Processum Ordinarium, qui anno 1959 absolutus est, cum insuper anno 1955 Processus Rogatorialis Albiensis instructus esset. Quorum amborum et singulorum validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 18 mensis Octobris anno 1991 latum. *Positione* confecta, disceptatum est, secundum normas, super adserto Servorum Dei martyrio. Die 18 mensis Novembris anno 2003 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 20 mensis Aprilis anno 2004 congregata, audita relatione Excellentissimi Domini Ioannis Coppa, Archiepiscopi titulo Sertensis, Causae Ponentis, recognoverunt Servos Dei Lucam a S. Ioseph Tristany Pujol, Leonardum Iosephum Aragonés Mateu et Apolloniam Lizarraga a SS.mo Sacramento, necnon LXI Socios et Socias, propter fidelitatem erga Christum interfectos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super Servorum Dei martyrio decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Lucae a Sancto Ioseph (in saec.: Iosephi Tristany Pujol), Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, et Leonardi Iosephi (in saec.: Iosephi Mariae Aragonés Mateu), Religiosi professi Fratrum Scholarum Christianarum, et Apolloniae Lizarraga a SS.mo Sacramento, Moderatricis Generalis Congregationis Sororum Carmelitanarum a Caritate, necnon LXI Sociorum et Sociarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

DE AGUAS CALIENTES

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Iuliae Spinarum a S. Corde (in saec.: Iuliae Navarrete Guerrero) fundatricis Congregationis Missionariarum Filiarum Purissimae Virginis Mariae (1881-1974)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Id enim, quod in praesenti est, leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur nobis, non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur » (*2 Cor* 4, 17-18).

Pro tribulationibus et humiliationibus, quas ipsa perpessa est, Serva Dei Iulia Spinarum a S. Corde (in saec.: Iulia Navarrete Guerrero) animo frangi non tulit seseque, Crucem amplectens, Christo suo Sponso coniunxit, cum sibi persuasum haberet — utpote suis ipsa Sororibus declaravit — « non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam ». Nam divinae gratiae agentis docilis, assidue ergo operam navavit suae sanctificationi Regnoque Christi augendo, donec ad evangelicae perfectionis fastigium est progressa.

Quae testis Christi nata est die 30 mensis Iunii anno 1881 in loco v. d. *Oaxaca* in Mexico e quadam satis locuplete familia, quae optimam ei formationem humanam et christianam impertiit. Die 25 mensis Martii anno 1898, confessario parentibusque consentientibus, votum castitatis privatum nuncupavit. Cum autem semetipsam Domino consecrare studeret, ingressa est Congregationem Crucis a S. Corde Iesu in domo v. d. *Oasis*, in urbe Mexicana, menseque Decembri anni 1898 habitum religiosum sumpsit. Postmodum novitiarum magistra renuntiabatur.

Post professionem temporariam die 3 mensis Maii anno 1901 emissam, a Patre Alberto Cuscó Mir, S.I., vocabatur ut regeret Institutum, quod occulte a laica quadam matrona, eademque vatis fama pollente, fovebatur. Cui quidem inde ab anno 1903 postulanti ut magnae in communitate mutationes fierent, Serva Dei obstitit ideoque a munere moderatricis est amota, cum tamen novitiarum magistra permaneret. Discordiis autem persequentibus, Institutum reliquit novumque aliud, Patre Cuscó Mir suadente, una cum aliquibus sociabus statuit fundare. Anno 1903 in urbem v. d. *Aguascalientes* transmigravit ibique subsequenti anno, Ordinario loci potestatem faciente, Collegium ab Immaculata aperuit. Familia religiosa, quae ipsa pro christiana puellarum institutione creaverat, primum « Congregatio a Puritate Mariae », deinde vero Congregatio « Missionariarum Filiarum Purissimae Virginis Ma-

riae » est vocata. Mense Augusti anni 1907 Serva Dei professionem perpetuam emisit, cum die 19 mensis Novembris subsequentis anni pro moderatrice generali deligeretur. Interea, quamvis omnia in summa inopia versarentur, nonnullae domus fundatae sunt in Mexico inque Foederatis Americae Civitatibus.

A nova moderatrice generali, anno 1920 renuntiata, Serva Dei plurimis molestiis est affecta, donec in Foederatas Americae Civitates est relegata. Quod quidem ipsa patiens humilisque toleravit, pro bono tantum et unitate Instituti operam impendens. Anno autem 1936 denuo delecta est ad munus moderatricis obeundum; sed, maledicis in eam criminationibus magis magisque in dies gliscentibus, Sancta Sedes visitationem apostolicam disposuit. Quae vero cum Servae Dei omnino favens evasisset, ea cunctis suffragiis pro moderatrice generali rursum est electa.

Congregationem amanter, benigne, aeque, firmiter rexit, suis Sororibus in christianis religiosisque virtutibus constanter gaudenterque exercendis recti exempli facta. Integram fortemque fidem, qua ipsa refulsit imprimis, aluit per assiduam orationem perque devotionem erga Eucharistiam et Cor Iesu, cui quidem semetipsam « pro holocausto perfecto » obtulit, necnon erga Beatissimam Virginem, quam indesinenter exempli causa nominabat puellis imitandam. Romano Pontifici obsequenter obnoxia, secundum Magisterii praecepta egit. Quae tamen in adversis minime deficiebat, cum pro certo haberet Dominum, cui suas ipsa navitates commendabat, esse profuturum. Deum ante omnia dilexit, cui satisfacere eiusdemque voluntati adhaerere est conata. Quidlibet peccati abhorruit suoque Instituto impensum apostolatum suscitavit. Pia erga Sorores, alumnas, presbyteros religiososque quibuscum habuit commercium, materna suavitate aegrotos senesque curabat. Omnibus illis, qui eam laesissent vel calumniassent, de largitate cordis ignovit minimeque obtrectationibus indulsit.

Sororibus multisque etiam saecularibus prudens moderatrix in spiritalibus exstitit, quae iuste, sincere fideliterque se gessit. Quamvis in multis angustiis versaretur, constanter firmiterque plurimas fundationes suscepit. In temperantia egit, victu ipsa sobria fuit ac modestiam coluit. Sine ulla exceptione moderatori in spiritalibus, moderatricibus ecclesiasticisque auctoritatibus oboedivit. Quae tamen, cum ad honores pro se et privilegia minime niteretur, ad Iesum pauperem imitandum bona terrena neglexit. Votum quoque castitatis summa diligentia observavit.

Anno 1965, quamvis provectioris aetatis exsisteret infirmisque corporis viribus uteretur, rursum ad moderatricis generalis munus est delecta; mox autem, cum propter valetudinem itinera facere nequiret, abdicavit titulumque

accepit moderatricis generalis emeritae. Postmodum in locum v. d. *Toluca* transmigravit, unde impensum per litteras apostolatum exercere non intermisit ibique ad mortem aequo animo parabatur, spe fulta supremi Domini occursus; qui quidem eam ad se vocavit die 21 mensis Novembris anno 1974.

Pervagatae famae sanctitatis intuitu, Exc.mus Episcopus de *Aguascalientes* Causam beatificationis et canonizationis inivit per Inquisitionem dioecesanam annis 1985-1992 peractam, cuius validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 6 mensis Martii anno 1993 latum. *Positione* confecta, disceptatum est secundum normas utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 19 mensis Decembris anno 2003 habitas est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 4 mensis Maii huius anni congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Laurentii Chiarinelli, Episcopi Viterbiensis, Causae Ponentis, recognoverunt Servam Dei Iuliam Spinarum a S. Corde virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iuliae Spinarum a S. Corde (in saec.: Iuliae Navarrete Guerrero), Fundatricis Congregationis Missionariarum Filiarum Purissimae Virginis Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VENETIARUM

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Seraphinae ab Angelis (in saec.: Victoriae Gregoris) religiosae professae Instituti Sororum Franciscalium a Christo Rege (1873-1935)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei » (*Act* 14, 22).

Viam crucis apostolico spiritu percurrit Serva Dei Seraphina ab Angelis (in saec.: Victoria Gregoris), quae, insanabili morbo a iuvenili inde aetate affecta, Christi tribulationes participavit et instrumentum facta est solaminis omnibus se adeuntibus, ut digna Regni caelorum efficeretur.

Haec vera Sancti Francisci Assisiensis sectatrix in loco v. d. *Fiume Veneto*, provinciae Portus Naonis, die 15 mensis Octobris anno 1873 nata est e modesta familia, quae eam christianis moribus instituit. In oppido *Bannia* litterarium explevit ludum, ingenio et bonitate eminens. Anno 1886 ingressa est associationem Filiarum Mariae, cuius postea praeses exstitit. Ad familiam sustentandam, quae in oeconomicis angustiis versabatur, aliquot per annos apud cotonificium in eodem oppido nativo laborem exercuit. Cotidie Eucharistiae intererat et assidue sacramenta frequentabat.

Maturata vocatione ad vitam consecratam, Venetiis mense Novembri anno 1894 ingressa est Institutum Sororum Franciscalium a Christo Rege. Die 5 mensis Februarii sequentis anni religiosum habitum induit, nomen Sororem Seraphinam ab Angelis assumens. Die 6 mensis Februarii anno 1896 professionem emisit. Operam deinde navavit iuvenibus evangelizandis. Spatio unius anni vix expleto, animadvertere coepit prima morbi Pottiani indicia. Primo quidem tempore, campum apostolatus relinquere nolens, dolorem silentio pertulit et mira fortitudine omnia assumpta opera fideliter explevit. Etiam tempore quo orthopaedica bacula adhibere coacta est, munia sibi commissa explicare perrexit et ulterius, cum ne baculis quidem stare poterat, consorores precabatur ut ad locum operis apostolici eam comitarentur. Vires eius physicae paulatim in peius ruerunt ita ut omni motu iam privata vivere cogeretur. Annis 1918-1919, bello erumpente, Florentiam translata est in valetudinarium Sancti Galli; bello autem composito in domum Venetam rediit.

Precando spiritale invenit nutrimentum ad serenitatem pacemque spiritus assequendas et servandas. Serva Dei consorores attrahebat, quae innu-

merae, solamen et consilium quaerentes, eius cubiculum ingrediebantur. Ulla absque condicione consiliis Domini obtemperavit, ita ut crebro repeteret: « Plurimum laetor Dei voluntatem adimplendo », et viam Calvariae perseveranter percurrit eo usque ut ad Christum Crucifixum se conformaret.

Fides illuminavit et roboravit eam in acerbis morbi incommodis perferendis. Numquam spem amisit et in manus divinae Providentiae fiducialiter se tradidit. Hortata est suos ut similiter facerent, bene sciens passiones huius temporis condignas non esse ad futuram gloriam (cf. *Rom* 8, 18). Devotionem nutrivit erga Eucharistiam et Beatam Mariam Virginem. Omnibus viribus dilexit Dominum, cuius mandata servavit, atque propria officia, Regulam et consilia evangelica adimplens, maiorem in dies cum Ipso communionem attigit. Tribulationes patiens, sociata navitate Regnum Christi dilatandum curavit, et per spiritum omnibus Evangelium in regionibus non christianis nuntiantibus adfuit, ita ut saepe diceret: « Domi quoque manentes missionarii esse possumus, dummodo fortiter pati valeamus, omnia Domino offerentes pro missionibus et missionariis ». Caritatem exercuit erga proximum ac praesertim erga consorores, quas hortabatur ut sese gererent iuxta propriam vocationem.

Virtutes prudentiae, iustitiae et patientiae excoluit. Non permisit se automiserationibus, querelis vel complorationibus implicari. Testificationes dedit constantis simplicitatis, humilitatis, alienationis a se ipsa et a terrenis opibus, et iam a iuventute sensus mortificavit per exercitium paenitentiae, vitam plane gerens secundum franciscalem spiritum.

Extremis quoque horis vitae erga personam ministrantem ostendit eximiam sollicitudinem. Paulo ante obitum nomen Divini Redemptoris pronuntiavit, cui ipsa victimam holocausti ob amorem sese obtulerat; et die 30 mensis Ianuarii anno 1935 Dominus eam ad se vocavit.

Perpensa eius diffusa sanctitatis fama, Patriarcha Venetiarum Causam beatificationis et canonizationis incepit, instruens Inquisitionem Dioecesanam annis 1986-1987. Iuridicam huius Inquisitionis validitatem Congregatio de Causis Sanctorum comprobavit per decretum die 15 mensis Maii anno 1992 vulgatum. Apparata *Positione*, disceptatum est num Serva Dei gradu heroico virtutes excoluerit. Felici cum exitu, die 16 mensis Decembris anno 2003 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die 18 mensis Maii anno 2004, audita Relatione Ponentis Causae, Excellentissimi Domini Ottorini Petri Alberti, Archiepiscopi emeriti Calaritani, edixerunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroice exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Seraphinae ab Angelis (in saec.: Victoriae Gregoris), religiosae professae Instituti Sororum Franciscalium a Christo Rege, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PALAIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Augustini Thevarparampil (v. d. « Kunjachan ») Sacerdotis dioecesani (1891-1973)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Nullum possideo, nec terram nec pecuniam... Iam ab anno 1926 apud indigenas vulgo *Harijans* vitam gero et inter eos etiam post mortem morari cupio. Itaque exuviae meae recondantur quaeso ubi corpora christianorum *Harijans* sunt sepulta ».

Haec verba testamenti presbyteri Augustini Thevarparampil, qui cognomine *Kunjachan*, id est «parvus presbyter», appellabatur, resonant uti compendium totius missionis, quam plusquam quadraginta annos evangelizationi dicavit et materiali spiritualique progressioni indigenarum *Harijans*, qui in India iudicabantur «exclusi e societate».

Servus Dei in oppido vulgo *Ramapuram*, ex eparchia Palaiensi ritus Syro-Malabarensis (Kerala, in India), die 1 mensis Aprilis anno 1891, natus est e familia vere christiana, quae non solum fidei virtutumque vita eminebat verum etiam assidua observantia religiosa. Minor natu ex quinque liberis, tribus nempe viris et duabus mulieribus, Augustinus post hebdomadam diei natalis baptizatus est in paroecia Sancti Augustini oppidi *Ramapuram*, ubi cetera quoque christianae initiationis sacramenta recepit. Anno 1913 Seminarium Minus dioecesanum ingressus est et anno 1915 in Seminarium Maius loci *Verapuzha*. Iam tum coram omnibus pietate excellebat, humilitate et benignitate. Die 17 mensis Decembris anno 1921, triginta et tres annos natus, sacro presbyteratus ordine est insignitus.

Pastorale ministerium sua in paroecia loci *Ramapuram* inchoavit. Deinde, mense Februario anno 1923 nominatus est viceparochus communitatis Sancti Sebastiani in *Kadanad*, ubi usque ad mensem Martium anni 1926 permansit. Febri tamen correptus, inopinate in paternam domum redire coactus est, ut idoneis se subiceret curis. Occasio enim exstitit ut proprium futurum detegeret et definitivum campum apostolicum, scilicet, apud suos *Harijans*, hoc est «intangibiles», qui omni re, iuribus et terrenis opibus carebant, et tempore illo vitam ducebant servituti altiorum stirpium prorsus obnoxiam.

Inde Servus Dei indefatigabilem ad Evangelium nuntiandum et ad humanam christianamque promotionem ferendam apud suos *Harijans* iniit operam, quam usque ad mortem perfecte est exsecutus. Hic praeclarus missionarius aetatis nostrae ad conversionem duxit ex suis *Harijans* plusquam quinque milia animarum, quibus ipsemet baptismum administravit, quos etiam curavit ut, absque animi commotione et sine controversiis, in contextum ecclesialis compaginis cooptaret, quin discrimen efficeret inter varios ordines ethnicos, vincens oppositionem sive ipsorum christianorum sive non christianorum. Servus Dei optimum obtinuit exitum, suffultus assidua oratione, singulari prudentia, sereno humilique se gerendi modo, nec non studio omnes conciliandi et ad pacem hortandi.

Methodus evangelizandi quam adhibuit hic apostolus intangibilium consistebat in eorum familiis visitandis et in Evangelio iisdem predicando. Ordo

cuiusque diei primo mane incipiebat, nempe hora quarta; expletis divinis laudibus et Eucharistica celebratione, simul cum catechista tuguria intangibilium invisebat, non solum in dicione paroeciali, sed etiam ubicumque gentes eo opus fuerint. Difficilior reddebatur visitatio eorum *Harijans* qui in territorio non christiano morabantur. Quidam discebant nuntium Evangelii et doctrinam fidei post varia colloquia et summo cum labore. Nihilominus hic vir ardentis fidei et mirabilis spei nullam ob rationem desistebat ab opere assumpto, compulsus tantum ferventi caritate erga Deum et proximum. Omnes *Harijans* ad Christum revocare volebat et ad gremium Catholicae Ecclesiae. Nec labores itinerum nec exigua responsio ad eius actionem pastoralem et ad alia inexspectata opera fervorem spemque eius minuere potuerunt. Aiebat enim: «Gentes sunt bonae et simplices. Omnia in melius redigentur».

Apostolicum Servi Dei opus afficiebat non solum conversionem intangibilium, quos «filii mei» appellare consueverat, sed etiam neophytos quos saepe visitabat ad eos sustentandos, confirmandos et roborandos in fide et in christianis moribus. Sicut Pastor Bonus, Servus Dei, qui singulos suos filios nominatim noverat, patienter eos exaudiebat, in tribulationibus solacium ferebat illis, parabat eos ut digne sacramenta reciperent, ac tandem dissensiones et simultates inter eos exortas componere nitebatur. Verus exstitit apostolus apud suos *Harijans*; praeco indefatigabilis et credibilis testis Evangelicae veritatis; mansuetus sed efficax ad mores obiurgandos corruptos pandema paupertate, quae ad promiscuitatem, ad polyandriam, ad polygamiam perducebat; magister culturae qui provehebat scholae frequentiam; fautor progressionis et promotionis socialis, qui eos hortabatur ad societates cooperativas instituendas; medicus qui optativam medicinam exercebat herbas et naturae remedia adhibens; vigil pastor et providus pater qui eos roborabat ad fidem servandam, quacumque oeconomica terrenaque mercede posthabita.

Ad haec innumera incepta exsequenda Servus Dei vires hauriebat de ferventi et solida vita spirituali, quam nutriebat per devotam Eucharistiae et Liturgiae Horarum celebrationem, per diuturnam orationem coram SS.mo Sacramento, nec non per assiduam recitationem Rosarii Beatae Mariae Virginis, quod ne omittebat quidem cum in itinere versabatur. Hac spirituali vita firmatus, prudentiam, temperantiam, paupertatem, castitatem, oboedientiam, humilitatem, iustitiam ac praesertim evangelicam caritatem excolere potuit.

Sed diuturna actuositas sacerdotalis eius physicas vires paulatim extenuavit, etenim ab anno 1959 febrim defectivam, adversam oculorum valetudinem et crurum inflammationem pati coepit; quibus anno 1961 ictus paralyticus accessit. Gravi morbo correptus, hic presbyter, qui omnibus viribus sacro incubuit ministerio, qui Deum suum dilexit, qui pius exstitit filius Virginis Mariae, qui indefesse Sacra Mysteria ministravit, qui doctrinam catholicam fideliter interpretatus est, qui fuit pastor bonus suorum *Harijans*, die 16 mensis Octobris anno 1973, ab ipso suo Episcopo infirmorum unctione recreatus, animam suam Domino tradidit. Sepeliri cupiebat inter suos dilectissimos filios, attamen christifideles paroeciae, omnino certiores de eius sanctitate, sepeliverunt eum in ecclesia, ante altare Sancto Augustino patrono paroeciae dicatum.

Ab obitus die frequentissimi peregrini, eum sanctum existimantes, eius tumulum visitare non cessant, ad eius intercessionem apud caelestem Patrem assequendam. Ratione habita de eius diffusa sanctitatis fama, Episcopus Palaiensis, Excellentissimus Dominus Iosephus Pallikaparampil, inchoavit Causam beatificationis et canonizationis, instruens annis 1987-1992 Inquisitionem dioecesanam, cuius iuridicam auctoritatem haec Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per decretum vulgatum die 26 mensis Novembris anno 1993. Apparata *Positione*, disceptatum est, uti de more, num Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 13 mensis Ianuarii anno 2004 actus est, positivo quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, congregati in Sessione Ordinaria die 20 mensis Aprilis eiusdem anni, Ponente Causae Excellentissimo Domino Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino, edixerunt presbyterum Augustinum Thevarparampil heroicum virtutum theologalium, cardinalium eisque adnexarum fastigium attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi*

Dei Augustini Thevarparampil (v. d. « Kunjachan »), Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BARCINONENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Petri Tarrés i Claret Sacerdotis dioecesani (1905-1950)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me » (*Io* 5, 30).

Vestigia premens Divini Redemptoris, presbyter Petrus Tarrés i Claret iuvenili ab aetate tractabile exstitit instrumentum in manibus Dei, adhaerens eius erga seipsum consiliis. Prius, uti medicus, sollicitudine eminuit erga infirmos, in quibus vultum Christi dolentis repercussum contuebatur; deinde, uti presbyter, summa pastorali caritate instructus, Ecclesiae se tradidit et animabus eadem incitatione qua sponsus ad sponsam trahitur (cf. IOANNES PAULUS II, Adhortatio Apostolica *Pastores dabo vobis*, 23).

Hic Christi minister Minorissae in Hispania natus est die 30 mensis Maii anno 1905 a parentibus operosa fide praeditis. Alumnus fuit in urbe *Mataró* apud sodales Ordinis Scholarum Piarum, postea Minorissae apud Collegium municipale Sancti Ignatii. Anno 1922 baccalaureatus titulo exornatus in scientiam medicam incubuit apud Studiorum Universitatem Barcinonensem. Eodem tempore frequentabat Oratorium Sancti Philippi Neri, ubi tam spirituali vita quam fervore apostolico excelso gradu praecelluit. De consensu sui

moderatoris spiritualis, die 25 mensis Decembris anno 1927 votum castitatis privatim emisit.

Universitatis curriculo feliciter expleto, eadem in urbe studium medicum aperuit. Professionem suam sedulitate explicavit et caritatis spiritu. Ob peritiam et ob suavem comitatem omnium existimationem sibi comparavit. Partes habuit « Foederationis Iuventutis Christianae Cataloniensis » et scriptis utens et sermonibus operam impendit in iuvenum apostolatum, et varia ponderis munera apud Actionem Catholicam assumpsit. Civili bello exardescente, ob ecclesialem militiam suam insectatus est, attamen impedire potuit quominus comprehenderetur, ac decem per menses apud quosdam amicos refugium invenit. Anno 1938 publicae loci auctoritates commiserunt ei munus medici inter milites exercitus reipublicae, ubi fidei exstitit testimonium.

Vocatione ad sacerdotium confirmata ac bello insuper composito, Seminarium Barcinonense ingressus est. Persolutis studiis iure praescriptis, die 30 mensis Maii anno 1942 sacro presbyteratus ordine est honestatus. Deinde nominatus est coadiutor paroeciae Sancti Stephani, in loco vulgo *Sesrovires*. Anno 1944 licentiam assecutus est in theologia apud Pontificiam Studiorum Universitatem Salmanticensem. Fervore onustus in Ecclesiae famulatu, magna ope contendit ad spiritualem quibusdam religiosis communitatibus curam praestandam, necnon ad iuvenes Actionis Catholicae instituendos. Tamquam assistens Actionis Catholicae Femininae paroeciae Sancti Vincentii de Sarriá, et Barcinone praeceptor apud Scholam Catholicam Sociologiae, humanam et christianam puellarum progressionem peculiariter promovit. Confessarii munus explevit in Seminario et moderatoris aliorum operum apostolatus. Rector Secretariatus Beneficentiae adiutricem praebuit operam ad condendum et roborandum Opus beneficum antiphthisicum, id est structuram infirmis curandis.

Exemplo vitae, praedicatione et scriptis fideles per Domini vias comitabatur. Ipse, aliis praeiens affectabat sanctitatem, et ideo christianas et sacerdotales virtutes assidue ac laetanter excolebat. Nullo umquam tempore abscondidit fidem quae eius viam constanter illuminavit. Revelatas in veritates firmiter credidit et fidelibus accurate tradidit Magisterii doctrinam, quam ille plene amplectebatur. In sacra liturgia, in meditatione et in assidua oratione spiritualem invenit alimoniam ad suam impensam operam apostolicam explicandam. Singularem cultum fovit erga Eucharistiam, quam foras quoque veneratus est licet in arduis versaretur adiunctis, uti in acie bellica. Dicere consueverat Communionem essentiam esse nostrae vitae christianae. Filialem affectum erga Deiparam Virginem professus est, quam per Marialis

Rosarii recitationem cotidie precabatur. Difficultatibus et persecutionibus non succubuit, Divinae Providentiae se tradens. Omnibus viribus Dominum dilexit et animum divinis intendit rebus. Scripserat enim praecipuam curam nihil aliud esse nisi «amare Iesum, per Ipsum vivere, pro Ipso mori!». Peccatum abhorruit et insimul caritatem exhibuit erga exsules, ita ut pro iisdem se victimam offerret. Auxilium tulit indigentibus, infirmis, in carcere detentis et iuvenibus.

Eximius evasit consiliarius et moderator animarum. Aequo animo usque se gessit. Sobrietatem excoluit in cibo, in nocturna quiete, in vestimentis; et per paenitentiam sensus suos mortificavit. Seiunctus vixit a terrenis opibus et ab humanis honoribus. Patienter contumelias sustinuit, quas in instrumentum sanctificationis transformavit. Oboedientiam et caritatem miro exemplo ad praxim deduxit. Appellatus est «Cataloniensis apostolus puritatis».

Sacerdotale suum ministerium ad breve tempus protractum est; etenim mense Maio anno 1950 valetudo eius decrescere coepit. Ex medica diagnosi se gravi tumoris forma affici cognovit. Sereno animo dolores pertulit, spe fisus Dominum assequendi, qui eum ad se vocavit die 31 mensis Augusti anno 1950.

Perpensa eius diffusa sanctitatis fama, Archiepiscopus Barcinonensis Causam beatificationis et canonizationis inchoavit, instruens Processum Cognitionalem inter annos 1982-1990. Huius Processus auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum, decretum vulgans die 26 mensis Martii anno 1993. Apparata *Positione*, disquisitio facta est, ut ex more, num Servus Dei virtutes heroice exercuerit. Die 5 mensis Aprilis anno 2004 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, positivum ferentium suffragium. Patres Cardinales et Episcopi, die 1 sequentis mensis Iunii in Sessione Ordinaria congregati, audita relatione Ponentis Causae, Excellentissimi Domini Lini Fumagalli, Episcopi Sabinensis-Mandelensis, edixerunt Servum Dei Petrum Tarrés i Claret heroicum theologalium, cardinalium eisque adnexarum virtutum fastigium attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe*

et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Tarrés i Claret, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 22 mensis Iunii A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 30 Decembris 2004. — Cathedrali Ecclesiæ Tequinensi Exc.mum P.D. Fridericum Iesum Fuenmayor Suárez, hactenus Episcopum Cabimensem.

die 12 Ianuarii 2005. — Titulari episcopali Ecclesiae Gummitanae in Byzacena R.D. Iosaphat Menezes da Silva, e clero Sancti Salvatoris in Brasilia, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Auguritensi R.D. Ioannem Carolum Petrini, e clero archidioecesis Firmanae, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tunnunensi R.D. Edney Gouvea Mattoso, e clero Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, hactenus Vicarium Episcopalem atque Curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 12 Ianuarii 2005. — Titulari episcopali Ecclesiae Tuscamiensi R.D. Antonium Augustum Dias Duarte, e clero Praelaturae Personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, hactenus Vicarium Secretarium Delegationis eiusdem Praelaturae in civitate vulgo Rio de Janeiro, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

die 15 Ianuarii. — Ordinariatui Militari in Republica Insularum Philippinarum Exc.mum P.D. Leopoldum Sumaylo Tumulak, hactenus Episcopum Tagbilaranum.

die 17 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiæ Agennensi R.D. Hubertum Herbreteau, e clero dioecesis Lucionensis, ibique hactenus Vicarium episcopalem.

die 22 Ianuarii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Tepeltensi R.D. Henricum Hoser, S.A.C., quem constituit Congregationis pro Gentium Evangelizatione Secretarium Adiunctum ac Pontificalium Operum Missionalium Praesidem et archiepiscopali dignitate ornavit.

die 22 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Ebusitanae R.D. Vincentium Juan Segura, e clero archidioecesis Valentinae, hactenus Sectioni hispanae Secretariae Status Praepositum.

die 24 Ianuarii. — Titulari Ecclesiae Dicensi R.D. Richardum Kasyna, e clero archidioecesis Gedanensis ibique Vicarium iudicialem et in Seminario maiore Iuris Canonici Professorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 25 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Cremensi R.D. Ansgarium Cantoni, hactenus Vicarium Episcopalem pro clericis dioecesis Comensis.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Vichitensi, R.D. Michaëlem Owen Jackels, e clero dioecesis Lincolnensis, hactenus Congregationis pro Doctrina Fidei Officialem.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Apucaranensi, Exc.mum P.D. Aloisium Vincentium Bernetti, O.A.D., hactenus Episcopum titularem Rufinianensem et Auxiliarem Palmensem-Beltranensem.

— Praelaturae territoriali Sancti Felicis R.P. Leonardum Udalricum Steiner, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, hactenus paroeciae vulgo Bom Jesus, in archidioecesi Curitibensi, vicarium paroecialem.

die 2 Februarii 2005. — Titulari Ecclesiae Petinensi R.P. Valentinum Pozaić, Societatis Iesu sodalem et Instituti Bioeticae Zagabriensis Directorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Zagabriensis.

die 4 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aquaeflaviensi R.D. Anacletum Cordeiro Gonçalves de Oliveira, e clero dioecesis Leiriensis-Fatimensis, hactenus Instituti Interdioecesani Conimbricensis moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Patriarchatus Lisbonensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Belalitanae R.D. Carolum Albertum de Pinho Moreira Azevedo, e clero dioecesis Portugallensis, hactenus Rectoris Universitatis Lusitaniae vices gerentem, quem deputavit Auxiliarem Patriarchatus Lisbonensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 7 Decembris 2004. — Archiepiscopum Coadiutorem Bamendanum Exc.mum R.D. Comelium Fontem Esua, hactenus Episcopum Kumboënsem.

— Episcopum Coadiutorem Tunduruensem Masasiensem, R.D. Castorum Paulum Msemwa e clero dioecesano Niombeno, hactenus moderatorem spiritualem Sororum Sancti Benedicti.

die 18 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Alindaöensi, noviter conditae, R.P. Petrum Marzinkowski, C.S.Sp., hactenus Moderatorem Provincialem Congregationis S. Spiritus in Germania.

die 4 Ianuarii 2005. — Cathedrali Ecclesiae Tarahumarensi R.P. Raphaelem Sandoval Sandoval, M.N.M., parochum et olim superiorem generalem Congregationis Missionariorum Nativitatis Mariae.

die 15 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Dodomaënsi Exc.mum R.D. Iudam Thaddaeum Ruwa'ichi, O.F.M. Cap., hactenus Episcopum Mbulensem.

die 17 Ianuarii. — Episcopum Coadiutorem Chilavensem, R.D. Warnakulasurya Wadumestrige Devasritha Valence Mendis e clero eiusdem dioecesis, hactenus Seminarii Nationalis Rectorem in dioecesi Kandiensi.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 11 Octobris 2004. — R.D. Terentium Leanage, e clero dioecesis Gallensis, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

die 7 Decembris. — Archiepiscopum Coadiutorem Bamendanum, Exc.mum R.D. Comelium Fontem Esua, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Kumboënsis.

die 10 Decembris. — Exc.mum R.D. Thaddaeum Ntihinyurwa, Archiepiscopum Kigaliensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Kabgayensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 8 gennaio 2005, S.E. il Signor Raúl Roa Kourí, Ambasciatore di Cuba presso la Santa Sede.

Sabato, 22 gennaio 2005, S.E. la Signora Monique Patricia Antoinette Frank, Ambasciatore dei Paesi Bassi.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Lunedì, 10 gennaio 2005, l'Ecc.mo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

Giovedì, 13 gennaio 2005, i Presidenti e le Giunte di governo della Regione Lazio, del Comune e della Provincia di Roma.

Venerdì, 28 gennaio 2005, S.E. il Signor Robert Kocharian, Presidente della Repubblica di Armenia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 gennaio 2005 S.E.R. Mons. Alain Paul Lebeaupin, Arcivescovo tit. di Vico Equense, finora Nunzio Apostolico in Ecuador, *Nunzio Apostolico in Kenya ed Osservatore Permanente presso gli Organismi delle Nazioni Unite per l'Ambiente e gli Insediamenti Umani (U.N.E.P., UN-Habitat).*

25 » » S.E.R. Mons. Patrick Coveney, Arcivescovo tit. di Satriano, finora Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Isole Fiji, Isole Marshall, Stati Federati di Micronesia, Samoa, Vanuatu, Tonga, Nauru, Kiribati, Palau, Isole Cook e Delegato Apostolico nell'Oceano Pacifico, *Nunzio Apostolico in Grecia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 dicembre 2004 Le LL.EE. i monsignori Allen Henry Vigneron, Vescovo di Oakland; Stanisław Wojciech Wielgus, Vescovo di Płock; Jean-Louis Bruguès, Vescovo di Angers; Diego Coletti, Vescovo di Livorno; Rainer Woelki, Vescovo tit. di Scampa, Ausiliare di Köln; Fabio Duque Jaramillo, Vescovo di Armenia; i Reverendi sac. Carlo Bresciani, Professore presso il Seminario Vescovile di Brescia; p. Lawrence B. Terrien, P.S.S., Superiore Generale dei Sulpiziani; mons. Krzysztof Pawlina, Rettore del Seminario Maggiore di Warszawa; p. Francisco Mateos Gil, L.C., Professore presso il Pontificio Ateneo « Regina Apostolorum »; Suor Lydia M. Allen, R.S.M., Mainz, esperta in psicologia; sac. Hubertus Blaumeiser, prof. incaricato presso la Facoltà di Teologia della Pontificia Università Gregoriana; sac. Bernhard Körner, prof. presso la Facoltà Teologica di Graz; sac. Javier Canosa Rodriguez, prof. presso la Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università della Santa Croce; mons. Guy-Réal Thivierge, Segretario Generale della F.I.U.C.; p. James Conn, S.I., prof. Ordinario presso la Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università Gregoriana; mons. Alfredo Horacio Zecca, Rettore della Pontificia Università Cattolica di Buenos Aires; p. David M. O'Connell, C.M., Rettore dell'Università Cattolica d'America; p. Franco Imoda, S.I., Rettore emerito della Pontificia Università Gregoriana; p. Antonio Maria Perrone, Sch.P., Presidente della F.I.D.A.E.; Suor Ausilia Chang Hiang-Chu, F.M.A., Preside della Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione « Auxilium »; sac. Kevin Doran, Coordinatore Nazionale per le Vocazioni Diocesane, Conferenza Episcopale Irlandese; p. Antonio Fiorenza, R.C.I., Vicario Generale dei Rogazionisti; sac. Jesús Arriero Pulido, dei Sacerdoti Operai Diocesani; mons. Paolo Selvadagi, Rettore del Pontificio Seminario Romano Minore; sac. Ludovico Caputo, S.D.V., Superiore Generale dei Padri Vocazionisti; suor Maria De Luca, Direttrice della Rivista di Orientamento per giovani « Se vuoi »; gli Ill.mi signori prof. Manuel António Garcia Braga Da Cruz, Rettore dell'Università Cattolica Portoghese; Étienne Verhack, Segretario Generale del C.E.E.C., *Consultori della Congregazione per l'Educazione Cattolica « ad quinquennium »*.

13	dicembre	2004	Il Rev.do sac. Lope Rubio Parrado; gli Ill.mi signori prof. Giuseppe Dalla Torre; prof. Enrico Nenna, *Consultori della Congregazione per l'Educazione Cattolica « in aliud quinquennium »*.
20	»	»	Il Rev.do mons. Peter Neher, Presidente del *Deutscher Caritasverband* ed il sig. Jean-Pierre Richer, Presidente del *Secours Catholique*, *Membri del Pontificio Consiglio « Cor Unum » « ad quinquennium »*.
1	gennaio	2005	L'ill.mo sig. Bruno De Angelis, *Direttore Amministrativo nella Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « ad quinquennium »*.
3	»	»	S.E.R. Mons. Elio Sgreccia, Vescovo tit. di Zama minore, *Presidente della Pontificia Accademia per la Vita « ad quinquennium »* e il rev.do mons. Ignacio Carrasco de Paula, della Prelatura Personale dell'Opus Dei, prof. ordinario di Bioetica nella Facoltà di Medicina e Chirurgia dell'Università Cattolica del Sacro Cuore in Roma, Membro della stessa Accademia, *Cancelliere della medesima Accademia « ad quinquennium »*.
4	»	»	S.E.R. Mons. J. Michael Miller, Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica e il Rev.do mons. Ruperto Cruz Santos, Rettore del Pontificio Collegio Filippino in Roma, *Membri del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali « ad quinquennium »*.
5	»	»	S.E.R. Mons. Luis Robies Díaz, Arcivescovo tit. di Stefaniaco, Vice Presidente della Pontificia Commissione per l'America Latina, *Membro della Congregazione per i Vescovi « ad quinquennium »*.
11	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Jaime Lucas Ortega y Alamino, Arcivescovo di San Cristóbal de La Habana, *Consigliere della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium »*.
13	»	»	Il rev.do mons. Ercole Boggio-Bozzo, finora Difensore del Vincolo Aggiunto del Tribunale della Rota Romana, *Difensore del Vincolo presso il Tribunale della Rota Romana « ad quinquennium »*.
17	»	»	I proff. Ugo Baldini, Elena Cavalcanti, don Enrico Dal Covolo, S.D.B., Eamon Duffy, Giulia Gasparro Sfameni, Carlo Renato Salinas Araneda, don Giuseppe Ignazio Saranyana Closa, Giovanni Maria Vian, *Membri del Pontificio Comitato di Scienze Storiche « in aliud quinquennium »*.
»	»	»	L'ill.mo dott. Josep M. Cullell, Presidente della « Hospitalidad de Nuestra Señora de Lourdes de Barcelona », *Revisore Internazionale presso la Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud triennium »*.

19 gennaio 2005 Gli Em.mi Signori Cardinali Christian Wiyghan Tumi, Arcivescovo di Douala; Salvatore De Giorgi, Arcivescovo di Palermo; Angelo Scola, Patriarca di Venezia; Tarcisio Bertone, Arcivescovo di Genova; Peter Kodwo Appiah Turkson, Arcivescovo di Cape Coast; George Pell, Arcivescovo di Sydney; Péter Erdö, Arcivescovo di Esztergom-Budapest; Zenon Grocholewski, Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica; Julián Herranz, Presidente del Pontificio Consiglio per i Testi Legislativi; le LL.EE. i monsignori Michel-Marie-Bernard Calvet, Arcivescovo di Nouméa; Paulino Lukudu Loro, Arcivescovo di Juba; Jean-Marie Untaani Compaoré, Arcivescovo di Ouagadougou; Thomas Menamparampil, Arcivescovo di Guwahati; Buti Joseph Tlhagale, Arcivescovo-Vescovo di Johannesburg; Tarcisius Ngalalekumtwa, Vescovo di Iringa; Joseph Zen Ze-kiun, Vescovo di Hong Kong; Antoni Dziemianko, Vescovo titolare di Lesvi, Ausiliare di Minsk-Mohilev; Robert Le Gall, Vescovo di Mende, *Membri della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « ad quinquennium »*.

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali: Joseph Ratzinger, Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede; Godfried Danneels, Arcivescovo di Mechelen-Brussel; Joachim Meisner, Arcivescovo di Köln; Miguel Obando Bravo, Arcivescovo di Managua; Paul Poupard, Presidente del Pontificio Consiglio della Cultura; Bernard Francis Law, Arciprete della Patriarcale Basilica di Santa Maria Maggiore; Eduardo Martinez Somalo, Camerlengo di S.R.C.; Aloysius Matthew Arnbrozic, Arcivescovo di Toronto; Norberto Rivera Carrera, Arcivescovo di México; Francis Eugene George, Arcivescovo di Chicago; le LL.EE. i Monsignori Franc Rodé, Arcivescovo emerito Ljubljana, Prefetto della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica; Agustin García-Gasco Vicente, Arcivescovo di Valencia; Alois Kothgasser, Arcivescovo di Salzburg; Mario Oliveri, Vescovo di Albenga-Imperia; Terence John Brain, Vescovo di Salford; Kevin Michael Manning, Vescovo di Parramatta; Wacław Świerzawski, Vescovo emerito di Sandomierz; Philip Boyce, Vescovo di Raphoe, *Membri della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « in aliud quinquennium »*.

22 » » S.E.R. Mons. Henryk Hoser, S.A.C., Arcivescovo tit. di Tepelte, *Segretario Aggiunto della Congregazione per*

			l'Evangelizzazione dei Popoli e Presidente delle Pontificie Opere Missionarie « ad quinquennium ».
24	gennaio	2005	S.E.R. Mons. Guy-Paul Noujaim, Vescovo tit. di Cesarea di Filippo, Ausiliare di Antiochia dei Maroniti, *Membro del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium ».*
25	»	»	Il rev.do p. Ambrosius Eszer, O.P., *Relatore Generale della Congregazione delle Cause dei Santi « ad biennium ».*
28	»	»	Il rev.do mons. Jean Laffitte, della Diocesi di Autun, Professore presso il Pontificio Istituto « Giovanni Paolo II » per Studi su Matrimonio e Famiglia, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia « ad quinquennium ».*
»	»	»	Il rev.do mons. Giovanni Francesco Brugnaro, finora Capo Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali, *Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione Mondiale del Turismo « ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

10	gennaio	2005	Card. Jan Pieter Schotte, C.I.C.M., del tit. di S. Giuliano dei Fiamminghi.
15	»	»	Mons. Paul Karatas, Arcivescovo di Diarbekir dei Caldei (*Turchia*).
19	»	»	Mons. Ricardo Suriñach Carreras, Vescovo em. di Ponce (*Puerto Rico*).
29	»	»	Mons. Jean Hengen, Arcivescovo em. di Lussemburgo.
31	»	»	Mons. Karl-Heinz Jacoby, Vescovo tit. di Sulci.
3	febbraio	»	Card. Corrado Bafile, del tit. di S. Maria in Portico.
»	»	»	Mons. Joseph Anthony De Palma, S.C.I., Vescovo em. di De Aar (*Sud Africa*).